DE EVVLGATIS ROM. IMP. ARCANIS.

LE SINGOLARITA DELLE GVERRE DI GERMANIA.

DE EVVLGATIS ROM. IMPERII ARCANIS

Ijs præcipuè, quę ad electionem & successionem Imperatorum faciunt,

Digressio habita Pisis An. MDC.XL. in magna Aula;

A PAGANINO GAVDENTIO
Cum interpretaretur Tacitum.

accedit eiusdem

DE FVNERE HEROVM, ET CÆSARVM
Exercitatio gemina, cum libello Etrusco, qui inscribitur:

Le Singolarità
DELLE GVERRE DI GERMANIA

FLORENTIÆ,

Typis Amatoris Massæ, & Laurentij de Landis. M.DC.XXXX.
SVPERIORVM PERMISSV.

Illustriss. & Excellentiss. viro,

D. FRANCISCO NICOLINO,

SENATORI FLORENTINO,

Serenissimi Magni Ducis Etruriæ Ferdinandi Secundi apud summum Pontificem Vrbanum viij. Oratori.

DVodecennio, Illustriss. & Excellentiss. Domine in Gymnasio Pisano feliciter exacto, Deo immortali in huius libri limine tamquam in templo votiuam suspendens tabellam gratias gratesq; ago, quod me superstitem hucusq; esse voluerit aduersus contagionem, quæ nouem ab hinc annis per totam Etruriam debacchata est, aduersus febres, quæ non simplici vice in auctumno obrepentes multorum testamenta resignarunt, aduersus obstinatum illum, vixq; vnquam intermissum in lucubrando laborem, aduersus deniq;

quorun-

quorundam tenebrionum, et inscitia obsessorum hominum conatus. Eumdem cuius arbitrio, nutuq; omnia reguntur, toto affectu oro, precorq; vt deinceps quoq; aura suæ benignitatis meis meditamentis, prælectionibus, dictatis adsit, faueat, aspiret. sic alacriter professorij muneris decurram stadium, & aliqua saltem ex parte respondebo beneuolæ erga me propensioni Serenissimi Magni Ducis FERDINANDI II. Meam quoq; gratitudinem probabo ijs, qui in promouendis meis commodis, amplificando honore nihil omiserunt, quos inter tu, Illustriss. & Excellentiss Domine præcipuè es nominandus. quam accurate enim, quam amanter scripsisti ad Sereniss. Magnum Ducem, cum de me, qui tunc Romæ versabar, conducendo ageretur. Cuius rei vt sancta semper apud me fuit memoria, ita nũquam defuit animus beneuolentiam erga me tuam etiam publice, oblata occasione memorandi. id iam, licet serò, bona fide præsto, cum euulgaturus Digressionem de Arcanis Romani Imperij, cum gemina exercitatione de Funere Heroum, & Funere Cæsareo non sine libello Etrusco de Belli Germanici singularibus, ijs amplissimum, multisq; nominibus

illuſtriſſimum tuum nomen præpono, præmitto, cum præſertim non tibi ſatis fuerit efficere, vt mea ſtudia Sereniſſimo Domino addicerem, niſi etiam ſubſecutis annis dares operam, quò illi gratiores indies mei forent labores, excitato etiam per litteras Ampliſſimo, illuſtriſſimoq; Marchione Philippo fratre tuo, præfecto Cubiculi Sereniſſimi Principis Iohannis Caroli ab Etruria, viro prudentiſſimo, et omnium rerum ciuilium vſu toti Etruriæ maximè conſpicuo, qui ſemper perhumaniter mecum ſe geſſit. Facitis nempe dum eorum, qui ſtudijs incumbunt fouetis, promouetis cogitationes, quod veſtræ familiæ ſummum ſplendorem decet, ipſi pulchra plurimarum rerum cognitione ſuſpiciendi. Qua in re digniſſimi filij IOANNEM parentem, cuius memoria non interibit, ſequimini. Eum, cum vir factus eximiæ prudentiæ, dexteritatiſq; in obeundis grauiſſimis negotijs dediſſet non vnum ſpecimen, iudicauit dignum FERDINANDVS I. quem oratorem ad maximum Pontificem Sixtum Quintum mitteret. in qua prouincia obeunda cum prorſus nihil præteriret, quod ad exornandum tantum munus faceret, non interrupta ſerie, memorabili

prorſus

prorſus felicitate totos viginti quatuor annos apud alios Pontifices Romanos vſq; ad Paulum V. exegit. paternum per exemplum, Illuſtriſſime Vir, inoffenſo pede, non deterritus, non victus magno difficultatum cumulo, qui legationes plerumq; comitari ſolet, ipſe tot annos inceſſiſti apud Vrbanum VIII. hinc omnes te vt ſummopere prouidum ſolertemq; admirantur, commendant. Et meritus quidem es hactenus, vt quieti, & tranquillitati tandem poſt exantlatas tot curas redderetis, ſed tibi ipſi hac in re tua ſumma obeſt virtus, quandoquidem, vt quidem hoc tempore ſe res habent, non ita facile foret inuenire, qui tuam æquaret diligentiam, vigilantium cum ſummo candore, ingenuaq; agendi ratione coniunctam. Ergò ò Magni parentis imitator egregie, fauentibus vtere fatis, felicibus nitere auſpicijs, & diu in ſplendidiſſima legatione eſto ſuperſtes. hoc toto pectore, dum reuerentiæ plenus offero meum libellum, opto. Florentiæ Cal. Auguſt. An. M.DC. XL.

Tuæ Illuſtriſs., et Excellentiſs. amplitudini

Deditiſſimus
Paganinus Gaudentius

AD EVMDEM ILLVSTRISSIMVM,

et Excellentissimum Oratorem.

QVamuis Æneadûm sors desolauerit orbem,
Marsq; Pater magnam liquerit Hesperiam,
Gesta tamen chartæ referunt, fidæq; papyri
Romuleum prohibent interijsse decus.
Hinc de Cæsaribus potui struxisse libellum,
Abditaq; Ausonio verba referre modo,
Quæ Floræ vulgata adytis, dispellere plebem;
Adq; sacros audent Palladis ire lares,
Si Gentis, FRANCISCE, tuæ clarissime fulgor,
Scriptori adspiras, & pius vsq; faues.

†† Le-

Lectori S.

QVI professores, liberales disciplinas, omneq; doctrinarum genus vno lucro, presentiq; pecunia metiuntur, Antiquitatis cognitionem non protritam, non solum auersantur ipsi, verum si qui sint, qui contempto vulgo conentur priscorum Sapientum dicta factaq; paulò accuratius indagare, eos vt vanos, vt inutiles cupiunt secedere, proculq; gradum remouere. Hinc adeò fit, vt tales non interpretes Scientiarum, sed caupones, præter vulgatissimos quosdam libros, quorum adminiculo vtcumq; compilant, atq; corradunt aliquam prælectionum molem, nihil prorsus habeant in suis pluteis. sic in orbem per decursum quatuor annorum iubent ire laborem, deincepsq; eadem iter repetunt linea, donec consenescant cæterorum prorsus incuriosi. Solliciti tamen, imò præcipué anxij de capite vnctiore referendo, sacculoq; replendo, toti sunt in eo, vt prensando, adulando, aliaq; ratione, quam exponere nihil attinet, se gerendo, ijs, qui auctoritate pollent, obrepant. nec votis suis plerumque excidunt, quin superbi spolijs incedunt, seque audent cum maiorum Gentium Baptis, clarissimisq; scientiarum mystis conferre, comparare. Eiusmodi homines, à quibus nil generosum, nil magnanimum, nil dignum quod ad exteros pertingat proficisci potest, dum intueor, non possum non quandoq; Catulli vsurpare verba:

Quis hęc potest videre, quis potest pati?

Collato tamen capite cum vno atq; altero amicorum, qui talia non sine indignatione cernunt, dico fateorq; iniquitatem temporum, quia emendari nequit, ferendam, cogitandumq; nullo non

lo non seculo multa incidisse, quæ procul à recta abirent ratione per tesqua ignarorum, barbarorumq; hominum. quibus obstrepere quia non potuere pauci, animum sic composuerunt, vt dicerent, qui ignarus est, ignarus esto. Id etiam nos, beneuole lector, agamus, & quandoquidem publicè tantum non obtinemus auctoritatis, vt præpotentes inscitiæ, & barbariei patronos reprimere possimus, saltem priuatim damnemus seculi inficetiam, ætatis ignauiam. Nec nostram patiamur à cognoscenda Vetustate auerti mentem, rati nil solida ratione, nil exacto modo, & ex asse intelligi in recentibus, absq; adminiculo Antiquitatis; quæ si nobis in stadio Veritatis decurrendo lampada prætulerit, non difficile erit præsentia noße, quotidiana expedire, nostratia dogmata, nostros mores interpretari, adq; probum reuocare examen. hæc præfari lubuit, dum tibi, Lector, exhibeo historiæ Cesareæ, Romuleæq; vetustatis non contemnendum Instar.

INDEX CAPITVM,

Quæ continentur in digressione,

De Euulgatis Romani Imperij Arcanis.

De

Vltimum hoc caput errore typographi postpositum, inserendum est post. xxiij.

INDEX CAPITVM,

Quæ continentur in exercitatione,

De Funere Heroum.

De

Spar-

De

INDEX CAPITVM,

Quæ continentur in exercitatione,

De Funere Cęsarum.

De Con-

Index eorum, quę sparsim inseruntur.

Capitoli

CAPITOLI

Delle Singolarità delle Guerre di Germania.

il pa-

ſale

preſente

LAELIVS MANCINVS,
Professor iurisprudentiæ primarius in Gymnasio Patauino,

Disquisit. Genial. Cent. III. Cap. vlt.

PAGANINVS GAVDENTIVS MVLTIPLICI SCRIPTORVM GENERE THEOLOGOS, PHILOSOPHOS, ORATORES, ATQ. ALIOS BENE MVLTOS IN SVI ADMIRATIONEM TRAXIT, IVS QVOQ. NOSTRVM NON IMPARI CALAMO HONORAVIT.

Ius Romanum aliud esse publicum, aliud priuatum, publicum addisci ex historia. eiusmodi Iuris præcipuam, & meliorem esse partem Arcana dominationis Romanæ.

DVÆ erant, vt norunt Rerum Romanarum periti, Iuris apud Romanos species, cum diuideretur in publicum, atq; priuatum. de priuato quotidie in Scholis, in foro altercantur Iurisconsulti, nihilque frequentius est in Vrbibus Europæ eiusmodi hominibus, in eo suam operam gnauiter locantibus, vt multę lites instituantur, institutæ nunquam dirimantur. Ius publicum languet, & latet. pauci scilicet ad cognitionem quouis excelso ingenio profectò dignissimam animum appellunt. Et tamen de gerenda Republica, de publica salute promouenda non potest iniri recta ratio nisi ab ijs, qui scientia talis iuris mentem excoluerunt. Errare coguntur & grauiter labi, de varijs institutis Regnorum, Rerumquepublicarum quando iudicium faciendum est, illi, qui hanc partem non attigerunt, non assecuti sunt. sed fac aliquem eius cognoscendi flagrare desiderio, vbi id discendum, inueniendum? quæ ratio ineunda, vt scopus, in quem collimatur non eludat studiosum? politicorum Scriptorum libri euoluendi, consulendum omne genus historiarum, omniaq; ad graues sententias, capitaliaq; dicta, quæ axiomata à Græ-

cis vocantur, referenda. Nihil verò fuerit vtilius, quam Romanam historiam perquam diligenter scrutari: ipsa etenim vel sola suggerere potest, quod hominem in tali studio queat perficere. Sed pars potior, & vt sic dicam, medulla videtur esse cognitio arcanorum Imperij, quæ subinde per decursum temporis, perq; seriem eius varietatis, cui obnoxia sunt imperia, detecta sunt, & in apertam deducta lucem. pleraq; conatus sum ego recensere in publicis prælectionibus, Tacitum dum interpretor auditoribus, quæ vt auidè excepta fuerunt cum loquerer, ita spero non displicitura lectoribus.

De triplici gerere Arcanorum imperij Romani. Auctor pollicetur se tantum de ijs acturum, quæ faciunt ad electionem, successionemq; Principum. Cap. II.

ARcanorum Imperij Romani non vnum putandum est esse genus; quod quisq; fatebitur, qui secum ineat rationem eorum, quæ non protrita, nec ita vulgo obuia velificata sunt maiestati populi Romani. Existimârim ego ad tres posse referri classes. Etenim quædam faciunt ad conseruationem imperij petita ex ratione sacrorum, quorum vsus negligendus non erat, si vellent Romani incolumem esse Rempublicam, aut Principatum. Alia docebant quomodo in publico regimine se deberent gerere, vt feroces nationes, populosq;

losq; potentes, & libertatis auidos in officio continerent, aut nouas res molientes reprimerent, atq; in ordinem redigerent. Erant deniq; nonnulla, quorum adminiculo successio Imperatorum, electio Principum nitebatur. primum, secundumq; genera ego in hoc opusculo nequaquam attingam, forte suo tempore suscepturus eiusmodi scriptionis prouinciam. in tertio genere enarrando me exercebo pro virium mearum tenuitate. in nouo argumento facile erit, nemine præeunte impingere alicubi. Sed qui cogitabunt, quam rarum aliquid recens moliri, & perficere, illi haud reluctabuntur, miniméq; difficiles se præstabunt in danda venia.

Duplici sensu posse dici arcana euulgari. prior facilior, et pronior. alter, non ita obuius, sed forte verior. expenduntur verba Taciti 1. hist.

Cap. III.

DIsserendum nobis de verbis Taciti: *Euulgato imperij arcano posse Principem alibi, quam Romæ fieri.* qua ratione dicatur euulgari arcanum, indagandum, neq; enim parua obscuritas inest tali modo loquendi. vbi verò pro viribus sensum locutionis sub apertam lucem traxerimus, recensebimus nonnulla ex historijs euulgatorum arcanorum exempla. Arcanum dicitur quicquid latet, cognitionemq; hominum effugit. quod

1. Hist.

verò non eſt, arcanum profectò dici non poteſt. quandocumq; igitur euulgatur ſecretum, dicitur manifeſtum fieri, & innoteſcere, quod antea ignotum erat. videtur autem Auguſtus perſcripſiſſe in rationario imperij monita quædam, ad conſeruandum imperium facientia, tradenda ſucceſſori, & viciſſim ab hoc ſubſequentibus, vt huiuſmodi ſententijs inſtructi poſſent incolumitatem ſuam procurare. de Auguſto arcanorum Imperij conditore verè me loqui, docere credideris narrationem Taciti: *Auguſtus*, inquit, *inter alia dominationis arcana vetitis, niſi permiſſu, ingredi Senatoribus, aut equitibus Romanis illuſtribus ſepoſuit Ægyptum*. Quis dubitet lectis his verbis pronunciare Auguſtum manu ſua in aliquo libello perſcripſiſſe arcana dominationis, nam plurium numero vtitur hiſtoricus, dum inquit: *inter alia dominationis arcana*. Facili igitur ſenſu dixeris, tunc euulgatum fuiſſe arcanum Imperij quando Tiberius increpauit Germanicum, quod abſq; permiſſu ingreſſus eſſet Ægyptum.

2. An.

Quæ translata ad ea, quę propoſuimus exponenda, faciunt vt dicamus Auguſtum, aut Tiberiũ, aut aliquem alium ex ſerie XII. Cæſarum exaráſſe hoc ſecretum, poſſe Principem alibi quam Romæ fieri; nam antea numquam res eò deductæ fuerant, vt renuntiatus fuiſſet Princeps extra Romam. hic ſenſus facilis pronuſq; eſt.

Sed alia ſuppetit explicandi ratio non ita obuia, quę tamen cenſeatur eſſe veritati magis conſentanea: quando ſcilicet aliquid fit, quod antea nunquam factum, & de quo potuiſſet ambigi an fieri poſſet, factũ tñ ratũ ha-

betur

betur, facit ad conseruationem Imperij, & Reipublicæ, tunc videmur posse dicere arcanum esse euulgatum. quàm multa quæso in decursu cuiusq; potentiæ absque præeunte exemplo contingunt, quæ deinceps placent, rataq; sunt? an dicemus omnia illa à conditore illius dominationis præscripta fuisse in aliquo libello? atqui multa incidunt labente tempore, de quibus cogitare nõ potuit primus, aut secundus Dominus, & Princeps.

Verum aduersus huiusmodi expositionem, obijcere est, non posse arcanum appellari, quod non est. quod si inter arcana dominationis sancita ab Augusto non reperiebatur & hoc, posse scilicet Principem alibi quã Romæ fieri, cur quæso arcanum appellabitur? puto respondeti posse, arcanum dici, quod aliquatenus latet in ipsa natura principatus quasi principatus Seminarium quoddam sit multarum rationum, quarum adminiculo vtantur necesse est Principes in decursu dominationis, si salui atq; incolumes esse velint. Ita Philosophi dixerunt latere quodammodo formas in sinu materię, atq; ab efficienti sic educi, & quodammodo ostendi, quatenus potentia materiæ operi præbet materiam quando efficiuntur, atq; conduntur. Græci profectò pro efficere dixerunt ἀναδεῖξαι quod tamen si vim verbi expendas, nihil aliud est quam detegere, manifestum facere, ostendere.

Vide-

Videri peccare Tacitum qui euulgat arcana. disparem esse rationem Sacrorum, et aliorum Arcanorum. Cap. IV.

ARcana quisquis euulgat culpa se alligat, cumq; sit notissimũ, quam diligenter apudq; nationes cõsueuerint celari mysteria, ne si in vulgus emanarent, cõtemnerentur, & deinceps non ea, qua par est, reuerentia tractarentur. Neminem latet mos obseruatus in Sacris Eleusinijs, & Samothracũ. Cur ergo tu, inquit aliquis, euulganda suscipis arcana? cum præsertim noris, quæ pœna maneret vulgatores Tacitorum, Sacrorumque opertaneorum Cereris Eleusiniæ?

Ego verò me auctoritate Taciti tueor; cuius cognitissima sunt verba: *Euulgato imperij arcano, posse alibi, quam Romæ fieri Principem*. ipse se potest tueri rei ipsius auctoritate. nam ideò dicitur euulgatum arcanum, quia ratio successionis in principatu cæpit ferre, vt Princeps alibi, quam Romæ fieret. (*1. hist.*)

Nec nos decet metiri arcana Imperij, sacrorum, quibus constat Religio, decempeda: nam conditio arcanorum Imperij fert, vt quod semel apparet esse approbatum publica auctoritate, id deinceps absq; controuersia in vsum venire queat, cognosciq; possit ab omnibus, qui rerum ciuilium scrutantur occulta. dicitur verò arcanum detegi, quando id, quod antea omnes omninò latebat, innotescit. Sacra autem semper sunt nota ali-

ta aliquibus, etsi non promiscuè ad eorum inspectionẽ quilibet admittatur; quamuis & in Religione nonnulla incipiant esse nota, quæ planè antea in occulto iacebant. Nonne dixit Apostolus: *Magnum sine controuersia mysterium Deus manifestatus in carne.* alibi ait: *vt notum fiat in cælestibus. & innotescat Principatibus*. plura non expromo.

Addiderim Tacitum videri dicere euulgatum arcanum non plebeijs hominibus,& imperitis eorum, quæ ad Principatum cognoscendum conferunt,sed initiatis, eruditisq;quiq;voluptatẽ capiũt in eruẽdis è nocte pręclaris institutis, quibus stetisse rem Romanam, monumenta litterarum studiosos antiquitatis docent. hodie igitur quam multi sunt prophani, qui toto luco Annalium, historiarumq; Taciti, reliquorumq; Scriptorum cum absistant, rudes politioris disciplinæ hoc ipsum potuisse Principem alibi quã Romę fieri ignorant;cum pręsertim eius rei causam expiscari, & exponere disertè, non vsque adeo cuiuis pronum sit.

Ex euentu prospero eorum,quæ cæteroqui ab æquitate, & Iure abhorrent, construi effluereque mysteria, quæ pro exemplis assumuntur deinceps. de quadam sententia Henrici IV. Regis *Galliarum.* Cap. V.

NON tantum ius, & æquum in successione electioneq; Imperatorum peperit arcana, sed & ini-

iniquitas temporum, peruersitas hominum, vis dolusq; felicem euentum sortita in eiusmodi secreta eruperũt, quæ etsi non approbentur pacatis consilijs quando locus est, legibusque paretur, obtinent tamen quando similis ingruit calamitas, cui opponere nõ possunt obijcem prudentes homines. Ita intelligimus nequaquam interimendum Imperatorem, aut exuendum dignitate, bellumq; dicimus non debere aduersus supremam geri potestatem, id tamen si contingat, & facinus qui ausi sunt, peragant omnia ex sui animi sententia, plausumq. obtineant, aut extorqueant à mortalibus, qui renuunt luctari cum ijs malis, quæ maiora sunt viribus humanis, cogemur volentes nolentes dicere sic numerum addi arcanis Romani Imperij, ijs scilicet, quæ ad successionem pertinent ipsorum Principum. quod monere volui, ne quis ea omnia, quæ exhibentur hoc in libro dicantur mihi placere, tanquam Iuri, ęquoq, cõsentanea. doleo autem magnopere hoc esse ingenium mortalium cupientium alijs præesse, aut saltem renuentium alijs subesse, vt quicquid aliquando cernunt cum felicitate, fortunatoq; exitu susceptum, id totum putent se quoque absque vllá sceleris nota posse suscipere, cum animaduertant talia inuenire suos defensores, imò defensione non egere, quandoquidem seipsa viribus partis acquisitaque potentia tuentur. Apud Dauilam egregium profectò historicum legi, cum cõquereretur Henricus Tertius de litteris minarum plenis Romæ datis à Pontifice, quod iussisset interfici Guisios Ducem, & Cardinalem, diceretq. aqua & igni ne-

qua-

quaquam interdictum fuisse ijs, qui Romam diripuissent, Pontificem obsedissent, sibi verò talia intentari, cum è medio iussisset tolli eos, qui sibi regnum eripere conarentur: legi, inquam, respondisse Regem Nauarræ Henricum, qui loquenti aderat, Hispanos nempe à Summo Pontifice fulmine dirisq; nequaquam percussos fuisse, cum armati essent, formidabilesq; omnibus. subiũgebat, dandam operam Regi, vt vinceret, vt Parisienses multaret, omniaq; in tuto futura. Temperantur dicta, factaque hominum erga eos, qui res nouas moliuntur, prosequuntur, iuxta successum prosperum, aut prosperitatis expertem.

Cur videatur Princeps non posse nisi Romæ fieri? quid suggesserit nouum arcanum, vt Galba, qui erat in Hispania, eligeretur? Cap. VI.

CÆsares omnes ad Galbam vsque constat esse renunciatos Pr incipes Principatumque adijsse, in Vrbe cum essent. Galba primus extra vrbem cum esset in Hispania, salutatus est Imperator. quod cum animaduertisset Tacitus, dixit. *Euulgato Imperij arcano posse Principem alibi, quam Romæ fieri*. 1. histor.

Cur verò videretur requiri præsentia eius, qui futurus esset Cæsar in vrbe, non pauca clamare videntur. peruade cogitando Principatum Tiberij, cæterorumque ad Galbam vsque inuenies omnes in vrbe Principatu po-

titos. Tiberius Romæ erat cum excederet Augustus, visusque est ægrè expugnari, vt susciperet Imperium in Senatu.

cap. 14. in Calig.

De Caligula hæc habes apud Suetonium: *ingressoq; vrbem statim consensu Senatus, & irrumpentis in curiam turbæ, ius arbitriumq; omnium rerum illi permissum est*. Vides vbi, quomodo, & à quibus Principatum acceperit Caligula. an hæc poterant extra vrbem, extraque Curiam peragi? vix asseres.

Claudij initia consule. non alibi quam Romæ deprehendes præter omnem spem ipsum stabilire sibi imperium, vnum rectorem exposcente multitudine. ire per vitam subsecutorum non libet.

Sueton in Claud. cap. 10.

Res autem videbatur poscere præsentem eum, qui ambiret principatum. More namque Romano à candidatis præsentibus, rogantibus petuntur honores, dignitates. Adiri quoque oportet Senatum. nullum etenim magni momenti negotium peragi, ratumque esse potest Senatu inscio, & non consulto. Cur verò tam celeriter quis renunciaretur Imperator, vt electio ne quidem ad spatium paucorum dierum protraheretur, donec euehendus ad fastigium se conspiciendum præberet?

Arcanum nihilominus euulgatum est Galba electo, qui in Hispania erat, *posse principem alibi, quam Romæ fieri* quod ne cui planè mirum videatur, cogitandum, inuisum fuisse Neronem, Vindicemque mouisse arma ex Gallia instituente iter. Audierat Galba adhuc superstite Nerone omnes meditari defectionem; excitatus etiam

tiam fuerat literis Vindicis, hinc passus est se dici Imperatorem, sed cum de euentu ambigeret, nondum nunciato interitu Neronis, Legati tantum nomē assumpsit. Tandem superuenientibus ab vrbe Nuncijs de Neronis morte, suscepit Cæsaris appellationem. sed num Cęsar erat, qui absque Senatus auctoritate, nescijs etiam Romanis se ferebat Cæsarem? hanc nebulam dissipat Suetonius, qui ait ijsdem Nuncijs cognouisse Galbam Neronem interemptum, *cunctosq; in sua verba iurâsse*. Trepidatio ingens, metusque gliscentesque turbæ effecerunt, vt absq; mora omnes peterent sibi Imperatorem Galbam, ne dilatio ingenti omnium rerum perturbationi præberet occasionem. vnde discere'est, nequaquam hoc arcanum, posse scilicet extra vrbem fieri Principem, perscriptum videri fuisse ab Augusto, cum necessitas, imminensque periculum hoc remedium timentibus suggesserit.

Sueton. in Galb. ca. 9. 10. 11.

Atque hæc de eiusmodi arcano eliquata, satis esse queunt, ne absq; causa plura comportemus verba in re, quæ subtiliori indagine non magnopere indiget.

Claudium, Vitellium, à milite factos Principes: quale hoc arcanum? an rationi consentaneum? cur tanta auctoritas fuerit Prætorianorum? Cap. VII.

Miles creabit, renunciabit Principem? Miles turbidus, seditiosus, pecuniæ auidus, qui nun mis

facillimè corrumpi, inq; ſententiam trahi poteſt? ò calamitatem temporum, ò triſtes vices rerum. Eò deducta res eſt, vt legerent caligati imperatorem, extorto congiario. ſic expenduntur, trutinantur merita, dum trutinatur pecunia, prçferturq; non qui plus meretur, ſed qui tanquam emptor plus offert. Clamat tamen hiſtoria Romana à militibus non paucos ad faſtigium Cçſareum euectos. quis verò ipſis inuitis eò pertingeret? ſed quærere eſt, quando hoc eruperit è latebris Tacitum, myſticumq; factum? Ad Vitellium te conferes, lecto Tacito, apud quem Mucianus apud Veſpaſianum ſic loquitur: *Et poſse ab exercitu principem fieri, ſibi ipſe Vitellius documento eſt*. Vitellius igitur cauſa fuit, cur pateret tantum ſecretum: nullusque antea dictus Cçſar à milite.

2. hiſt.

Sed non tam ſegniter legimus verba Muciani, vt putemus ipſum dixiſſe Vitellium omnium primum lectum, & electum ab exercitu. tantum inflammat Veſpaſianum ad capeſſendum Imperium fauente exercitu. nam ſi Vitellius à militibus renunciatus eſt Princeps, cur non eadem ratione talem dignitatem adipiſci poterit Veſpaſianus fauentibus, acclamantibus Legionibus?

Ante Vitellium porrò cœpiſſe hoc ſibi vindicare ius militares copias, ambigere nos non ſinit vita Claudij. ipſe etenim promotus eſt à militibus, & è ſummo, in quo ſe putabat verſari, periculo, eluctatus pertigit ad culmen, verticemq; dignitatis. Audiamus Suetonium locupletem narratorem vitarum Cæſarum: *Latentem diſ-*

in Claud. cap. 10.

cur-

currens forte gregarius miles animaduersis pedibus è studio sciscitandi quisnam esset, agnouit, extractumque, & præ metu ad genua sibi accidentem Imperatorem salutauit. post nonnulla narrata, subijcit Claudium *armatos pro concione iurare in nomen suum passum esse.*

Facile autem est intelligere sermonem esse non de alijs armatis, alijsque militibus, quam prætorianis. illi etenim iam inde ab Augusto, & præsertim Tiberio cõsueuerunt degere in Vrbe: in eligendo ergo Imperatore præcipua ipsorum auctoritas, neque Galba prouectus fuisset, nisi Romę omnes in sua verba iurasse cognouisset, quos inter multum poterant prætorianæ cohortes. hinc postea factum, vt comitantibus in bellum prętorianis Imperatorem, quãdoque irati eum occiderint; aliumque dixerint; quibus nequaquam potuit Senatus repugnare, non ita citò assensurus, si habuisset domi robur prætorianorum, quo se posset tueri, si vis ab absentibus ingrueret.

Vides vero, quod incommodum secum ferat prætorianorum commodum; nam quam vtiles, quam decori, quamque necessarij prætoriani Imperatoribus semper fuerunt, vt tuti vbique forent aduersus quemcumque impetum per duellium & seditiosorum: Interim in eorumdem videbantur esse potestate, eorum ipsorum cogebantur redimere fauorem, beneuolentiam profusis largitionibus, quibus deficientibus non vnus ex Cæsaribus destitutus, desertusque est, atque etiam trucidatus, renunciato alio rerum domino. nempe humanarum rerum conditio cum difficultate aliqua coniuncta à no-

stra

ſtra diligentia ſolertiaque ſuperari nequaquam poteſt.

Hinc nouimus tumultuatos Byzantij aliquot abhinc annos Iannizaros, inconditis clamoribus extorſiſſe ſæpius pecuniam, in exitium præcipitem dediſſe Oſmannum, huius qui nunc regnat, fratrem, qui tamen ſua vigilantia, trucique ſeueritate refractarios compeſcuit, intraque limites diſciplinę militaris compulit.

M. Antoninum Philoſophum participem feciſſe Imperij fratrem Verum, nec propterea diuiſiſſe poteſtatem. Tunc intellectum poſſe eſſe duos Auguſtos. Cap. VIII.

AD Marcum vſque Antoninum Philoſophum vnus tantum præfuit Imperio, numquamque duo viſi ſunt ſimul Reipublicę præeſſe; tandem Roma vidit duos Principes faſtigio Cæſareo præditos, quod nulli moleſtum fuit, nec viſum eſt Imperium diuidi. Verba Iulij Capitolini promenda ſunt: M. Antoninus Philoſophus *fratrem ſibi participem in imperio designauit, atque ex eo pariter cæperunt Rempublicam gerere, tuncque primum Romanum Imperium duos Auguſtos habere cæpit.* Etſi duos vocet Auguſtos hiſtoricus, caue tamen exiſtimes diuiſionem contigiſſe rei, quam diuiduam nequaquam putabant Romani. nonne duos habebat Conſules Roma, vnus tamen cenſebatur eſſe Conſulatus, qui pro

parte

parte in solidum ab vtroque gerebatur, licet aliquando inter se administrationem vitandæ confusionis causa partirentur, quod præcipue eluxit tunc, quando contra Annibalem gerendum fuit bellum: vno enim die vnus Consul summo cum imperio præerat exercitui, altero alter imperabat militibus. sic præfectura Prætorij vna cum foret, nequaquam diuisionis capax, & ab initio vnus tantum iussus fuerit præesse ab Augusto Prętorianis militibus, deinceps tamen duo frequenter fuerunt pręfecti, eadem auctoritate indiuidua præditi. quod obtinuit vsque ad Constantinum, qui quomodo se gesserit cum re in eam diem indiuidua, notissimum est, & ego in parte secunda de Iustinianei sæculi moribus exposui.

Vt ergo vna præfectura Prętorij habere potuit duos præfectos, ita participes facti sunt duo fratres Augusteę Cæsareęque potestatis. Isti sunt qui frequenter vocati sunt à Iurisconsultis Diui fratres, à quibus multa optima consultissimaque ratione sancita sunt.

Vide vero quanta fuerit moderatio, quanta modestia M. Antonini Philosophi, qui non nisi coactus à Senatu suscepit Imperium, cumque putaret se solum parem non esse publico regimini, tanto oneri voluit admouere fratris diligentiam. ò probitatem memorandam. nam fratrum solet esse gratia rara, consueueruntque se inuicem habere suspectos, præsertim quando de Imperio & regimine agitur; attamen Antoninus procul habebat tales suspiciones, talesque animi motus. Sic non semper verum est, quod cecinit Lucanus:

omni-

---------------- omnisque potestas
Impatiens consortis erit.

Nam Antoninus non solum passus est fratrem imperare, verum ipsum, vt imperaret, asciuit, nec vllus vmquam dum regnarent, fuit apud ipsos locus simultati.

Ex abditis Romanæ dominationis hoc effluxisse, vt notum sit Imperatorem se posse Imperio abdicare. id euenisse sub Diocletiano: de cuius laudibus nonnulla proferuntur. Cap. IX.

Posse Imparatorem seipsum abdicare Imperio, eligereque vitam priuatam, res clamat in Diocletiano et Maximiano, quorum ille Iouius, hic Herculius appellabatur. ò rem miram omniumque sæculorum memoria dignam. videbat Diocletianus, quam difficile sit principatum gerere, quamque insidietur magnis ducibus exercituum fortuna. ergo cum satis gloriæ sibi parasset, bella, Rempublicamque gerendo, statuit deinceps domi philosophando, hortosque colendo suauissimè consenescere. Scio non deesse qui stultitiæ accusant Diocletianum, aut timoris, animique imbecillitatis; sed nesciunt quid garriant. Iniuriam profecto faciunt generoso Principi, in quo cumulus reperiebatur magnarum virtutum, si excipias animum auersantem, odioque prosequentem Christianos. illud auget Diocletiani laudem, quod Collegę Herculio, vt

idem

idem institutum sequeretur, persuasit. adde hunc mutato proposito redire ad Imperium voluisse, conatumque Diocletianum quoque remouere à vita priuata; frustra tamen fuit, etenim Diocletianus renuit antiquis tricis se implicare. En tibi verba Eutropij: *Maximianus ad spem erectus resumendi Imperij, quod inuitus amiserat, Romam aduolauit, Diocletianumq; etiam per litteras adhortatus est, vt depositam resumeret potestatē, quas ille irritas habuit*. hæc Eutropius, qui alibi ait ipsum *inusitata virtute vsum, vt solus omnium post conditum Romanum Imperiū ex tanto fastigio sponte ad priuatæ vitæ statum, ciuilitatemq; remearet*. nec omittenda sunt Sex. Aurel. Victoris verba: *Diocletianus dum ab Herculio atque Galerio adrecipiēdum Imperium rogaretur, tamquam pestem aliquam detestatus, in hunc modum respondit: vtinam Salonæ possetis visere olera nostris manibus instituta, profectò numquam illud tentandum iudicaretis*. hæc Victor.

lib. 10.

lib. 9.

Erit nihilominus, qui dicat non potuisse, nec debuisse Imperium deponere Diocletianum, etenim à Senatu imponitur hoc onus, populoq; militibusq;: opus igitur est cōsensu aliorum, vt iure quis Imperio se abdicet. par autem non est, vt vir capax Imperij, & Reipublicæ admodum vtilis difficillimis temporibus posthabeat communem salutem proprię voluptati, proprioq; otio.

Gemina hæc obiectio dissipabitur, si dicamus consentiente Senatu Diocletianum deposuisse fastigium imperij, nam cur Senatores inuidissent hanc felicitatem viro iam optimè merito, domitorique hostium, de quibus etiam cum collega celeberrimum egit triumphum

Elegit etiam Cæſares Galerium, Maximianum, & Conſtantium, ne Reſpublica egregijs moderatoribus deſtitueretur. Sic prius pacauit orbem Romanum, eique dedit Rectores, antequam dulcedinem vitæ priuatę eligeret, ne quiſquam argutetur eum Reipublicæ ſuam operam ſubduxiſſe tunc, quãdo ipſa opus habebat.

Migrante Conſtantino Roma Byzantium non vnum emanaſſe Imperij myſterium. agitur de gemina ſede Imperij, geminoque Senatu, deque vtriuſque vrbis prærogatiua non indiligenter. Cap. X.

DE cauſis, quæ impulerunt Conſtantinum vt nouam Romam conderet ſi inquiras, reſpondebo me non magnopere eſſe ſollicitum de expoſitione tantæ rei, quandoquidem meum Inſtar Academicum in diatriba de tribus mutationibus rerum Romanarum, & de Inclinatione Imperij quædam exhibet, quæ in argumento vulgato, & multorum calamis vexato forte ſatis eſſe queunt. vt taceam de Epigrammate, quod inter Epigrammata exaratũ à me extat de Conſtantinopoli.

Migratio ergo Conſtantini quęcumque demum eius extiterit cauſa, effecit vt cognoſcerent homines Imperij Romani geminum eſſe poſſe caput, in Italia vnum, prope Pontum alterum; caput Imperij voco vrbem, in qua ſit ſedes Cæſarum, cum Tacito, qui ait, Tiberium penes ſe ſtatuiſſe *caput rerum non omittere*.

1. *Ann.*

Sed

Sed an non monſtro ſimile eſt factum Imperium cum caput geminaſſet, bifidamque haberet ſedem? quis non horreat corpus biceps? præſertim cum omnia mõſtra ominoſa ſint, & calamitatem portendant. Certè Rempublicam appellauit corpus non vno loco Ariſtoteles; neque abhorruit ab eiuſmodi modo loquendi S. Paulus. apud Tacitum fuit qui diceret, *quouſq; patieris deeſſe caput Reipublicæ?* Si Reſpublica caput habet, corpus eſſe cenſenda eſt.

1. *Ann.*

Verum vt non raro plures Principes rexerunt indiuiſam Rempublicam, quod hiſtoria nobis repręſentat, cur non potuit idem imperium habere duas ſedes, duaſque præcipuas vrbes? Sed ſedes Imperij nequit carere Senatu. ergo geminata ſede, geminatus eſt Senatus, vt nõ minus Byzantium ſuos haberet Senatores, quam Roma. quod inter arcana dominationis euulgata numerare nemo recuſabit.

Nonne verò diſtractę diuiſæq; ſunt vires, gemina ſede, gemino Senatu conſtituto? diuiſio porrò quàm grauiter lædit robur, quàm officit conſilijs, quàm moram interponit negotijs. Semel apud ſe ſtatuerat Conſtantinus veterem Romã deſerere, Byzantium augere, ergo probabile admodum eſt cupiuiſſe Romam planè ſpoliare omnibus antiquis ornamentis, ne deinceps Conſulem, Senatum haberet, ne ſedes Cæſarum, Imperijq; amplius foret. Sed non potuit tale perficere conſilium, adegiſſet profectò Patritios ad molitionem rerum nouarum: ſic quia deſperabat ſe poſſe Romam vetuſta dignitate exuere, ſaltem æmulam ei condidit,

ijsdemq; instruxit priuilegijs.

Cui vero duarum vrbium tribuenda est palma veteri, an nouæ Romæ? pro noua videntur certare Iustiniani verba, qui in authent. ait Constantinopolim *melioribus esse conditam auspicijs*. quod status rerum, qui tempore Iustinianeo vigebat, docere potest. Tunc enim Roma vetus afflicta & prope conclamata iacebat, noua è contra florebat, diues erat, imperabat Sedes Cæsarum. Post Augustulum scilicet caruit Imperatoribus Roma, aut si qui vocati sunt Imperatores Romanorum, licet quandoque vrbem inuiserent, in vrbe tamen non degebant.

Illud quoque pro melioribus nouæ Romæ auspicijs pugnat, quod condita fuerit à Constantino optimo Catholicoque Principe, veri & vnius Dei cultore: Romulus autem superstitione gentili imbutus, vrbis regnatricis iecit fundamenta.

2. Const. Nec omitte testimonium Zonarę sic scribentis: *Chalcedone opere inchoato Aquilas deuolasse memorant fabrorumque funiculos raptos, freto superato iuxta Byzantium deiecisse, quod sæpius factum & Imperatori nunciatum, cum non temere esse sed à numine aliquid portendi videretur, ipse Byzantium se confert*. hæc pro Byzantij prærogatiua faciunt.

Verum pro veteri Roma forte longe præstantiora depromi posse dixeris. Noti sunt sex vultures primum visi, deinde duodecim, cum iacerentur fundamenta vrbis. quid auspicacius tali prodigio fieri potest? nec silendum caput hominis in capitolio repertum, quod re-

gnatu-

gnaturam vrbem, caputq; rerum fore significare respō-
dit Etruscus Aruspex. omitto ancilia Martis, libros Si-
byllinos. Zosimus è contra, inquit nulla Vaticinia de
Byzantino vrbis incremento reperiri. Roma profectò
ab exiguis initijs profecta, domina Gentium tandem
meruit esse. si quid habuit dignitatis regiæ Constanti-
nopolis, id veteri Romę imputandum est. si dicas cap-
tam esse sæpe Romam, regeram Constantinopolim
diu obsessam, bisq; expugnatam, si non pluries. si iactes
hodie maximi Imperij esse sedem, Turcici scilicet,
quod Africam, Asiam, & magnam Europæ partē cō-
plectitur, respondebo nunc Romæ degere Summum
Pontificem, qui magna pollet apud omnes Christianos
auctoritate. Talia depromi possunt ab ijs, quibus placet
altercationis funem reciprocare in argumento histori-
co, & voluptatis non experte. Nam mihi iam animus
non est litem componere, vt quisq; suo fruatur iudicio
libereq; gressum, quo fert animus, promoueat.

Confutatur opinio existimantium Constantinum verè diuisisse Imperium. Cap. XI.

NEquaquam assentiri possum viro doctissimo, exi-
stimanti verā diuisionem imperij factam fuisse
à Constantino; quod ostendere satagit, quia commu-
nicauit cum Constantinopoli Consulatum, Senatum,
deincepsq; appellatum est imperium vnum Orientis,
alterum Occidentis.

Verum

Verum eiusmodi opinio reijci meretur, nam quando aliquid verè diuiditur, in duas, pluresq; partes, vnaquæq; pars seorsim iam sumpta incipit esse totum, absq; eo, quod amplius ad prius totũ referatur, cumque alijs partibus coalescat, vnumq; totum, quod iam desierat esse, constituat. imperium porrò indiuisum fuisse sub Constantino quis dubitet cum ipse vnus fuerit imperator? nam quod profertur de duabus vrbibus geminoque Senatu, id non ostendit diuisionem esse factam. nonne in Oriente imperator quandoque Rauennę, aliquando Mediolani degebat, multiplex tamen non erat imperium ob plures vrbes, in quibus degebat imperator. si autem diuisisset Imperium Constantinus, vnicuiq; vrbi Romę scilicet, veteri & nouæ, duos tribuisset Consules, vt vtrobiq; forent duo.

Rursus indiuisum fuisse Imperium, non id solum ostẽdit, quod non pauci Imperatores soli post Constantinum rexerunt Imperium, verum etiam quia qui commune Imperium gubernabant plures, præscribebant omnibus literis, & præsertim legibus & Constitutionibus, iunctim nomina: non id facturi si vnusquisque fuisset Imperator seiunctus ab alio. Inspiciatur quęso codex Theodosianus, Iustinianæus, & vbique inueniuntur nomina Imperatorum coniuncta, & numquam separata.

Regeres á Zonara, & alijs appellari Imperium orientale, occidentale, vt intelligamus duo fuisse Imperia, atque adeo Imperium vere fuisse diuisum à Constantino. sed sic locutus est Historicus ob vrbes, in

quibus

quibus degebant Imperatores, qui communi consilio sic regebant Rempublicam, vt vnus suo fungeretur munere in Oriente, alter in occidente. en tibi Pauli Diaconi verba: *Arcadius in oriente Augustus factus, Honorius frater eius in occidente, commune Imperium diuersis tantum sedibus tenere cæperunt.* hæc ille.

lib. 13.

Didicisse mortales tempore Philippi, aut saltem Constantini, Imperatorem posse esse Christianum. Cap. XII.

O Miram conuersionem, quam licuit tunc memorare, quando Imperatores ipsi Religionem sunt amplexi Christianam, Christoque humiles dedêre manus. etenim vix videbantur vmquam senatores, Equites, milites Romani parituri ei, qui auersaretur auspicia, Sacra, vetustum deorum cultum, eorũ scilicet, quos ab origine non interrupta serie adorasset gentium domina Roma. didicere tamen mortales posse obediri illi, qui religioni antiquis Romanis ignotæ adhæresceret. quis porrò primus inter Imperatores susceperit Seruatoris nostri legem, non est omninò exploratum.

Sunt qui Philippis id decus tribuunt, lauream que porrigunt. Pomponius Lætus satis frigide inquit: *Philippus, vt scelera tegeret, cultum Christiani nominis simulabat.* Sextus Victor silentio prorsus Religionem Christianam Philippi inuoluit. paruum autem decus conci-

Rom. hist. comp.

liatur

liatur à Philippis Christianę fidei, quandoquidem in ipsorum nomen grauiter inuehuntur historici; Zonaras tamen non obscure de sacris Christianis à Philippo susceptis sic scribit. *Philippus à bello Persico reuersus erga Christianos bene affectus fuit, ac potiùs auctores quidam sunt eum Christianam fidem amplexum in Ecclesia communia cum Christianis vota fecisse*. Videsis plura eumdem apud historicum. ex Eutropio nihil quod faueat argumento petere licet, nihil apud ipsum de Philippi, aut Philipporum fide Christiana apparet. quin coniecturæ geminæ materia exhibetur, Christianorum in cętu non vixisse. nam tunc *millesimus annus Romæ vrbis ingenti ludorum apparatu spectaculorumque celebratus est*, narrante eodem Eutropio. Verisimile non est, more gentium Christianos Imperatores voluisse Palilia celebrare. nec dissimula Philippos post mortem inter Diuos relatos fuisse, illo ipso scribente. quis credat à Senatu toto adhuc gentili Imperatores Christianos potuisse inter Diuos recenseri?

Sed sentiat sane, vt quisque vult, de hoc: saltem exploratum est Constantinum palam, & ex tota animi sententia, professum fuisse pietatem nostram, & eripuisse Christianos è seruitute in libertatem. miramur autem neminem abnuisse Constantino morigerum se gerere, cum tamen absque cōparatione plures essent gentiles, quam Christiani. An putârunt ob diuersitatem sacrorum non solui vinculum obedientiæ, quæ debetur legitimo Imperatori? nam si Christiani ex animi sententia subfuerunt Cæsaribus à vera Christi pietate alienis, e-

tiam

tiam Gentiles poſtquam Imperator tranſijt ad Chriſtianos, non dubitauerunt obſequium præſtare Conſtantino.

Si qui forte refractario & contumaci erant animo, non auſi fuiſſent noua moliri aduerſus fortunatum Imperatorem, & nuper tanta cum gloria aduerſus Maxentium, victorem.

Superiorum temporum Iuriſconſultos dixiſſe: Constantinum donaſſe quidem Imperij partem Romano Pontifici, ſed donare non potuiſſe. Alios putare & donaſſe Constantinum, et donare potuiſse, ſed vſu donationis Pontifices caruiſse. Cap. XIII.

AN Conſtantinus Imperium Occidentis donauit Syluestro, prodiditq; myſterium poſſe Imperatorem alienare, donare Imperij ditiones? apud Photium extat donationis charta. ſuperioribus temporibus qui floruerunt Iuriſconſulti non dubitârunt de donatione, ſed donare potuiſſe Conſtantinum ea, quæ ſunt Imperij, prorſus negauerunt. Summus vir Baronius, leui opera totam diſputationem tranſmiſit, videturque illuc ſuam ſententiam comitari, vt dicat donâſſe quidem Conſtantinum Syluestro Imperij partem, ſed ſummos Pontifices non vſos donationis Iure. ſic pronun-

ciat, cum videantur deinceps Imperatores non minus Italiæ, ipsique Romæ imperâsse, quam Constantinopoli atque Orienti. quod cuiuis notum est modo non sit hospes in historia eius temporis, quod habuit filios Constantini, & Constantiũ Honoriũ, aliosq; quid verò prodest habere iura, ijs autem aut nolle, aut per imbecillitatẽ non posse vti per decursum longi temporis? vide quæso, qualis esset status vrbis, non dico sub Honorio, sed etiam diù post ipsius Imperium. legimus enim hæc atq; alia apud Diaconum. *Recedente ab vrbe Genserico Romani insequenti mense exinanitæ Reipublicæ Imperatorem Auitum præficiunt. rursus exempto in Italia rebus humanis Auito, Maiorianus apud Rauennam Imperator efficitur totius consensu militiæ. post Seueri mortem iura Imperij Antemius suscepit. diuisa deinceps Roma est: & quidam fauebant Antemio, quidam Ricimeris perfidiam sequebantur.* Bellimer Romam properauit, Antemio auxilium laturus. Ricimer Antemium trucidat, Romæ prædas agit. Olimbrius deinceps imperium obtinet, & paulò post Romæ moritur. Augustulus Imperium inuadit. deinde deiecto Augustulo Romam Odoacer ingressus, totius Italiæ effectus est Rex. atq; deinceps Roma caruit Imperatore.

lib. 15.

lib. 16.

Talia qui legit, videt perspicuè Pontifices Romanos nullum ex donatione Constantini percepisse fructum, imperium si respicias, rerumq; summam.

De

DE ARCANO PRODITO ſub Iouiani Imperio.

Iouianum turpem feciſse cum Perſis pacem, & tradidiſse ipſis partem imperij. quid poſsit adferri ad excuſandum Iouianum. An ob neceſsitatem poſsit hoſtibus tradi aliquid finium? ſubiungitur Epigramma in Iouianum.

Cap. XIV.

RESilit calamus à ſcribendo, quando narrandum eſt argumentum ignaui timoris in Iouiano, cuius negligentia factum eſt, vt ſecreta Imperij Romani augeantur, ſed turpem deplorandumq; in modum, quem ab Imperatoribus, ſi ſuæ dignitati velint conſulere, nequaquam par eſt vſurpari. Non ſine ſumma indignatione tempore Iouiani coacti ſunt diſcere ciues Romani poſſe quandoq; ab hoſtibus, barbariſq; multari ditione, ditioniſq; parte Imperatores, atq; ita redimi pacē. ſic ſe geſſit Iouianus cum Sapore Perſarum Rege, vt Niſibin Sangaraq; vrbes celebres, fidaſq; tot annos Romano nomini tribuerit, aſſignaueritq; deinceps poſſidēdas ab ijs, qui ſēper infenſi fuerunt Maieſtati populi Romani. ò labem, quam tuo inuris nomini Iouiane, & tamen Iouianus amas dici, quaſi alter Diocletianus, qui

tamen hostes contriuit, triumphauit, neq; passus vt impunè ferrent degerentq; tuti, postquam prædas egissent in limitibus Romanæ ditionis, armaq; Cæsarea prouocassent appellaris Iouiane à Ioue, qui præses Romani Capitolij, Tarpeiæq; rupis indignatur fidelissimos ciues exui suis domibus, laresq; patrios relinquere. Sed ne fingere quicquam videamur, prodeant locupletes testes, qui tuam confodiant stylo socordiam. Eutropius sic loquitur: *Iouianus vero à Persis vno atque altero prælio victus pacem cum Sapore ignobilem fecit, multatus finibus, ac nonnulla Imperij Romani parte tradita. quod ante eum annis mille centum & duobus de viginti fere, ex quo Romanum Imperium conditum erat, numquam accidit.* ipse Zonaras hæc recenset: *Nisibi & Sangara vrbibus illustribus Persis cessit, ciuibus aliò translatis, a quibus plorantibus citra verecundiam maledictis incessebatur. prouincias item multas & iura antiquitus ad Romanos pertinentia eis concessit.* hæc ille.

Sed video quid ad defensionem Iouiani deduci possit. fecit turpem pacem, fatemur, sed necessariam. hoc refert Eutropius, nec silet Zonaras. quis homo mortali semine cretus cum necessitate queat pugnare? inest ei violentia & tyrannis, quod nos docuit Philosophus. Excusãdus ergo Iouianus. Verum regerit Eutropius fœdus extortum tunc à summa necessitate, obseruandum non fuisse. id conatur ostendere exemplis ex historia Romana petitis. *Ea pacis conditio non penitus reprehendenda foret, si fœderis necessitatem, cum integrum fuit, mutare voluisset, sicut à Romanis factum est: nam & Samnitibus &*

5. Met.

Numi-

Numidis confestim bella illata sunt; neque pax rata fuit. addit turpem quidem pacem ob malam necessitatem initam quandoque cum hostibus à Romanis fuisse, sed nihil interim finium traditum fuisse. sic quidem Eutropius.

Cur vero recensemus inter arcana Imperij illa, quæ turpem in modum gesta sunt? certè nemo dicet ab Imperatoribus debere quandoque iniri fœdera cum hostibus, ea conditione, vt vrbes Romanæ ditionis eis relinquantur, atque adeo limites Imperij restringantur. Respondere possũ, me ideo hęc retulisse inter secreta domi nationis, quia lubenter successores vbi quęstio est de re aliqua, fierine possit, an non, frequẽter se tuentur exemplis decessorum, existimantq; se posse facere, quod fecere aliquando, qui iam pridem imperárunt. Fatebuntur interim nunquam decedendum finibus, nisi extrema vrgeat necessitas, aut prudentiores dicent ineundas inducias, quarum spatio elapso reuerti nos oporteat ad bellum. in vtramque partem depromi possunt exempla ex historia. Galli olim cum Anglis iniuerunt pacem, ea conditione vt hi parti Galliæ imperarent. captiuitas Francisci primi effecit, vt ijdem Galli exciderint omni iure, quod habebant in Belgium.

Vicissim renuit Rex Hispaniarum pacem cum Hollandis sancire. initis inducijs, ipsisque elapsis reditum est ad bellum. cum Carolus Emmanuel Dux Sabaudiæ Salassiorum fines occupasset, noluere Galli cum ipso transigere, nisi aut redderet illa ipsa loca, aut assignaret aliquid instar eorum. his sic prolatis imponam finem

huic

huic de Iouiani turpi fœdere dissertationi, adscripto Epigrammate.

Hocne est Imperij patrios defendere fines,
Hoc latiam Augusto rem gerere Imperio?
Persarum frænare dolos, dispellere Parthos,
Et Scythicas armis perdomuisse domos?
Auxilio viduas ciues, Nisibinque Tyranno
Fidam vrbem, timidus prodere non dubitas.
A Ioue cur nomen geris, o Iouiane, latina
Si loca, deducto milite, destituis?

Excommunicato Theodosio ab Ambrosio, proditum esse secretum, posse Imperatorem excommunicari. An Imperator qui excommunicatur, censeatur exui dignitate Cæsarea? An Philippus Imperator fuerit excommunicatus? Cap. XV.

TEmpore Theodosij videntur exemplo didicisse orbis Romani incolæ, posse Imperatori à Sacerdotibus interdici Sacris: Ambrosius etenim sic se gessit cum Theodosio, vt eum iusserit à templo remouere gradum. audiamus Paulum Diaconum: *cum Theodosius* lib. 12.

apud Mediolanum Missarũ fruiturus solemnibus, Ecclesiam vellet intrare, eumque beatus Ambrosius pro quodam facinore, nisi publicè pæniteret, non admissurum se diceret, & prohibitionem humiliter pertulit, et satisfactionem non erubescens, indictum ab Episcopo pœnitentiæ modum deuotus excepit. hęc ille. eamdem rem narrat prolixè, & accuratè Nicephorus. patet inde Ambrosium non permisisse Theodosium ingredi templum: sic communione Sacrorum est depulsus, hoc est, vt nos iam loquimur, excommunicatus ab Ambrosio Episcopo Mediolanensi. ab eiusmodi vinculis vt absolueretur Imperator, ea omnia obiuit, & egit quæ pœnitentes, vt absoluantur, pręstant, & peragunt, vt hac quidem in re dignitas Cæsarea Imperatorem non eximat à pœna, quæ ab Episcopis infligi solet.

lib. 12, c. 41.

Ex tota autem narratione colligere est, excommunicationem nihil aliud fuisse, quam exclusionem à templo, vsuq; mysteriorum. vbi tamen non pauca possunt in quæstionem venire. An Episcopus Mediolanensis potuerit interdicere sacris Imperatori? an eundem absoluere, & restituere Ecclesiæ, cum id muneris videatur esse Summi Pontificis Romani. Neq; enim videtur quisquam posse excommunicare Imperatorem, eumq; absoluere, præter Summum Ecclesiæ Hierarcham.

Rursus aliquis quæret, an Theodosius censeatur tunc fuisse exutus Cæsarea potestate, Cęsareoq; fastigio? nec enim videtur posse esse Imperator, & Imperatorios actus obire ille, qui excommunicatus est.

De his quæstionibus accuratè disputare, & respondere

dere non ex huius loci. paucis tamen dicam ea tempestate, eoq; seculo potuisse quemlibet Episcopum reijcere ab ingressu templi Imperatorem, sacrisq; interdicere, licet forte nullus id ausus fuisset, præter magnanimum, generosumq; Ambrosium. Qua verò auctoritate repulit peccantem Theodosium sanctus Episcopus, eadem pœnitentem restituit Ecclesiæ, adque sacrorum communionem admisit. Ratio porrò imperij subsecutis seculis eò deducta est, vt solus Pontifex iudex esse queat Imperatoris.

Ignorare etiam nos non oportet eum, cui sacris interdicitur, non propterea bonis suis, suaq. dignitate spoliari. Tantum ab vsu rerum sacrarum repellitur. At Imperatores per decursum temporum sic sunt facti obnoxij Summo Pontifici, vt possint ab ipso etiam culmine Imperij deijci, nisi faciant satis. Sed nominatim iuxta nonnullorum Theologorum sententiam id in excommunicationis sententia est pronunciandum, nam cæteroqui sola excommunicatio non videretur auferre Imperij dignitatem.

Subijcere iam lubet, non videri primum Theodosiũ excõmunicatum, cum idem legatur de Philippo apud Zonaram. *cum à præposito Ecclesiæ ad communionem non admitteretur nisi confiteri vellet, nomen suum inter pœnitentes profiteri haud recusauit.* hæc tamen propriè excommunicatio non fuit, tantum est admonitus non posse iuxta morem Ecclesiæ quemquam admitti ad Sacrę Eucharistiæ perceptionem, nisi confessus fuerit peccata. apparet autem Philippum, siquidem vera est narratio Zonaræ,

narę, etiam baptizatum fuisse, qua de re cum altum sit silentium in historiâ, non desunt qui ambigant, an Philippus iste vmquam Christianus fuerit.

Secretum cum calamitate coniunctum venisse in luminis auras tunc, quando Arcadius, Honorius, Theodosius Iunior tutorum opera indigentes, facti sunt Imperatores.

Cap. XVI.

CAlamitas Imperij nobis deploranda est, quando memoramus pueros admotos habenis reipublicæ regendis, qui ipsi rectoribus, tutoribusque indigerent. audiamus historicos. Zonaras: *Arcadius moriens Theodosium, qui Iunior dicitur, & defuncto patre septennis erat, reliquit Imperij successorem.* de Honorio, idem: *hic Romæ veteris Imperator admodum adolescens, decem duntaxat natus annos, relictus à patre, de illius sententia tutorem habuit Stiliconem.* non absimilia nobis exhibentur à Paulo Diacono: *Arcadij & Honorij curam pater Theodosius viris potentissimis mandauerat habere, id est Rufino Orientalis Aulæ, Stiliconi Occidentalis Imperij.* ibidem: *Arcadius Imperij summam Theodosio filio paruo admodum moriens tradidit.* hæc ille. sic Romanæ ditionis homines coacti sunt cognoscere, posse pueros, eosque qui tutelá indigeant, admoueri Imperio. quales vero Cæsares sunt,

in Annal.

qui non regere præ puerili ætate sciunt, sed regi debent ab alijs. etenim Imperium cum existimetur non esse hereditarium, Cæsarei fasces ei profecto non videntur deferendi, qui ad sui defensionem aliena indigeat potestate. delati tamen sunt à Theodosio filijs, delatioque rata fuit.

Si dicas, etiam Neronem admodum adolescentem ad Imperium peruenisse, moderatoresque habuisse iuuentutis Burrhum & Senecam; respondebo, Neronem fuisse ætatis virilis cum adipisceretur Imperium, quod indicat Suetonius: *septemdecim natus annos* adeptus Imperium. quis autem nescit apud Romanos annum septimum cum decimo fuisse principium ętatis virilis? sic exemplum Neronis nihil facit ad rem.

in Ner. cap. 8.

Vide porrò quæ mala Imperium afflixerint ob teneram ætatem Arcadij, Honorij, & Theodosij Iunioris. *Gildo*, inquit Paulus Diaconus, *Comes Africæ, arbitratus minimam in paruulis spem fore, Africam iure proprio cœpit vsurpare. Stilico quoque Occidentis tutor Imperij, regnum & ipse Eucherio filio affectans, ingentia Reipublicæ intulit mala.* hæc ille.

lib. 13.

Nostra quoque tempestate, aut non ita remota miserabilis extitit status Galliarum sub Francisco II. Caroloque IX. nam potentissimæ factionis proceres abusi puerilibus annis Regum, bellis ciuilibus materiam dedere. quisque enim ad se Regem, vt rerum summam haberet, trahere conabatur. Atque aliquando Carolus Nonus visus est lachrymas pueriles fundere, cum abduceretur à Proceribus, vimque suæ animaduerteret

ret fieri maieſtati. diſputatum etiam fuit cum ingreſſus fuiſſet annum decimumquartum, num tutelam cenſeretur exuiſſe, ſuique iuris factus, aliquibus negantibus, dicentibuſque oportere ab ipſo decimumquartum expleri annum, ne tutelæ primi Principis Galliarum eſſet obnoxius.

An vero hodie puer Imperator eligi poſſet? nequaquam, ſi iura, ſi conſuetudinem Germanici Imperij reſpicias. nam non pauca ſancita conſtat obſeruanda in electione Imperatoris, iuxtà auream bullam Caroli quarti, quæ olim poterant negligi.

Imperatorem Occidentis poſſe alibi, quam Romæ degere ſuo exemplo docuiſſe Honorium. an ipſe fuerit Romam reuerſus, ibique obierit?

Cap. XVII.

ID abditum Imperij ſub Honorio ſe prodidit, vt ſciremus poſſe Imperatorem alibi quam Romæ, vel Conſtantinopoli degere, ſedemq; habere. Zonaras: *Honorius cum ob vecordiam ſe Romanis magnatibus inuiſum eſſe, & inſidijs appeti animaduertiſset, Rauennam abijt.* Sic narrat ex quorumdam ſententia alijs opinantibus, ideo inuiſum fuiſſe Romanis Honorium, quòd *Rauennam migraſset*. Quicquid ſit de diuerſitate ſententiæ, apparet Honorium ſibi Rauennam elegiſſe ſedem, relicta, inſuperq; habita Roma. præmiſiſſe Honorium

tom. 3. in Hon.

 Lauri-

Lauritium, vt palatium Cæsareum construeret, refert Rubeus, qui deinceps quibus annis Honorius aut fuerit Rauennæ, aut absuerit, remigraueritque accuratè recenset. Sed num sic sedem fixit Rauennæ, vt sedis Cęsareæ dignitatem abstulerit Romæ, Rauennęque contulerit? id opinatur idem Rubeus prolato etiam Pignę testimonio his verbis: *Honorius cum Innocentio Pontifice communicato consilio, iustis Senatum Romanum multaturus pænis, Romam sede Occidentalis Imperij priuauit, & Rauennam illam transtulit.* Quod verisimile non est, nam si sedem Imperij transtulisset Rauennam, iussisset Rauennæ quoque esse Senatum. quis enim non fateatur eam esse propriè sedem Imperij, vbi Senatus est? Senatus autem semper fuit Romæ. cur ergo dicemus ab Honorio Romam sede Imperij priuatam?

histor. Rauenn. lib. 2.

Verùm dices, eam sedem Imperij propriè esse, vbi domicilium sibi eligit Imperator; Honorium autem posthabita Româ amâsse degere Rauennæ, vt intelligamus sub Honorio Imperij sedem fuisse Rauennæ, non Romæ. Respondeo, & dico sub Honorio præcipuam sedem Imperij fuisse Romæ, licet placuerit Imperatori habitare iustis de causis Rauēnæ: nam nihil prohibet sedem Imperij fixam, & statã esse Romæ alibi vero degere aliquot annorum spatio Imperatorem. Certè Honoriũ non transtulisse Sedẽ Imperij Rauennã, & eà priuasse Romam apparet ex eo, quia ipse Honorius tandẽ reuersus est Romam, & in vrbe obijt sepultusque est.

Reclamat Rubeus, contenditq; Rauennæ, non Romæ obijsse Honorium. quod vtinam claris historicorum

testimo-

testimonijs cõprobásset. iam Iohannes Baptista Egnatius sic scribit: *Honorius decessit Romæ cum annos duos & xxx. imperásset*. sed antiquos oportet proferre testes. Zonaras tantum hæc habet: *Mortuus est Hydropicus. Ioannes autem, qui Romæ.* apparet Zonaram videri dicere Rauēnæ obijsse Imperatorem. Paulus Diaconus dissentit, deq; Honorio hæc verba profert: *apud Vrbem Romam vita exemptus est, corpusq; eius iuxta Beati Petri Apostoli atrium in Mausolæo sepultus est*. Pomponius Lętus tantum ait, Honorium à febri inuasum esse mortuū. vbi mortuus fuerit non significat.

lib. 1. Rom. Princ.

lib. 14.

Sed etsi reuersus non fuisset Romam Honorius, non propterea existimandum est priuatam fuisse sede imperij Romam, aut Imperatorem nihil iuris in vrbem Romam, transgressum Rauennam sibi retinuisse; nam narrante eodem Rubeo, Honorius Rauennæ cum degeret *Romanis creauit nouos Magistratus et Præfectos*, quod signum est supremi Imperij. & post mortem Honorij, vt ait Pomponius Lætus, *Theodosius Iunior audita patrui morte, Valentinianum Cæsarem fecit, & cum matre Romam misit*.

lib. 2. histor. Rau.

Sub

Sub Iustiniano innotuisse, vxorem Imperatoris posse cum eo Rempublicam gerere. agitur de Theodora. confertur Claudius cum Iustiniano. Cap. XVIII.

COgnitioni mortalium quod arcanum fuerit insinuatum tempore Iustiniani, disce ex verbis Zonaræ: *Iustiniano Principatum adepto non vnius, sed duorum potestas fuit, cùm vxor eius non minus ipso, ac potius plus poßet.* & paulo post: *Theodora maritum longo interuallo potentia superabat*. hæc Zonaras. non absimilia legere licet apud Procopium: *Theodora Persarum, aliorumq; Legatos (quod numquam post hominum recordationem vsurpatum est) admittebat, eisq; lautia præbebat, tamquam penes se Romani summa esset Imperij*. alibi: *Rempublicam præ arbitratu moderari sic Theodora contendit, vt ipsa Magistratus et Sacerdotes crearet*. plura talia apud eumdem reperies.

in arcana hist.

Aduersus hæc duo respondebis, nempè hoc reprehensioni esse obnoxium, Iustinianumq; debere censoria notari virgulâ, quod passus sit fæminam rerum potiri, & Imperium moderari. subijcies, non primum Iustinianum ita indulsisse vxori. sic se gesserat longè antea Claudius, de quo Suetonius; *Libertis vxoribusq; addictus, non Principem sed ministrum egit.*

in Clau. cap. 29.

His obiectis sic occurro, vt non dissimulem minimè laudandum factum Iustiniani, quod tamen ratum cum fuerit, & à nemine in discrimen controuersiæ vocatum, transit in exempla, & recensetur inter arcana Romanæ dominationis.

Ad Claudium quod attinet, etsi indulserit vxoribus ob incuriam, & imbecillitatem animi, longe tamen pręvxoribus præualuerunt Liberti, vt pauca imputanda sint in Imperio eius fæminis. Certè præter Agrippinã, à qua ipse interfectus est, reiecit omnes, iurans se victurum deinceps in cœlibatu. Messalinam etiam iussit occidi, morteq; multauit. At Theodora apud Iustinianum tanta fuit auctoritate, vt per decursum tot annorum fuerit socia, & plusquam socia in administratione omnium rerum. hoc est, quod tanquam singulare annotauimus, interq; abdita Romanæ potentiæ recensuimus.

De Irene tutrice filij Imperatoris. insidiæ ab ea structæ an pia vocanda? Crudelis excæcauit filium. Cap. XIX.

POsse pupillo imperium deferri docuit nos factum Theodosij tradentis Honorio occidentale imperium, iubentisq; tutorem filij agere Stiliconem. Nondum viderat Romanus orbis fœminam Imperatoris tutricem. hoc deprehendit post mortem Leonis Chazaræ. nam *Irene Augusta & filius eius Constantinus decimum ætatis annum agens Imperium suscepit.* Vide vero quam inuiderit filio Irene. *omissa Caroli affinitate ex metu et imperij cupiditate, ne filij opes Francorum necessitudine augerentur, ex Oriente puellam accersiuit.* hæc Zonaras, qui

Zonar.

mox

mox ſubijcit: *Eam Constantino inuito, & ab ijs nuptijs abhorrenti deſpondit*. longum foret recenſere quibus modis ſe deinceps inuicē mater & filius perſecuti fuerint. eo vero crudelitatis gradum promouit Irene, vt filium excæcarit, horribili & inaudito exemplo. tantum poteſt in muliere regnandi cupiditas. & tamen a multis vt pijsſima celebratur, cum crudeliſsima & ſupra modū ambitioſa mereatur vocari. fateor in ea eluxiſſe pietatem, qua aſſeruit imagines, eaſq; templis reſtituit. in cęteris vix video, quid laudare poſsis.

Sed fac Imperatorem patrem, poſtquam filium minorennem initiauit imperio, repente obire, non dato tutore, quis tutelam geret? an non ſatius matrem eſſe tutricem, quæ cenſetur magna fide magnoque amore proſequi filium? reſpondeo, huic difficultati noſtro tempore non eſſe locum, cum pater non poſsit filium ſua auctoritate renunciare Imperatorem. Electores autem minimè puero traderent imperij faſtigium. olim res aliter geri potuit, nam conſtat Conſtantinum ſeptennem puerum à Leone patre relictum ſub tutela matris, & nobilium quorumdam, quorum diligentia Andronicus Ducas tyrannidis inuaſor oppreſſus eſt. nec ignoramus Henricum Tertium annos natum quinque, ipſo Pontifice Victore præſente, Germaniæ regnum iā quartum occepiſſe, ſummamq; rerum Agnetem tutricis nomine tractare inſtituiſſe.

Io. Bap. Egn.

Sigo. de Regn. Ital lib. 9.

Tem-

Tempore Caroli Magni innotuiſſe arcanum, poſſe nempe Imperium Romanum diuidi in duas partes. cuius auctoritate facta ſit eiuſmodi partitio? Cap. XX.

QVando hiſtoriarum Scriptores memorant occidentem ſuos habuiſſe Imperatores,& orientem ſuos, pluresque ſimul Auguſtos fuiſſe, non eſt propterea putandum imperium diuiſum fuiſſe, nam indiuiſum fuiſſe vel ex eo diſcimus,quia duo tantum erant Conſules, vnus Romæ, alter Conſtantinopoli. quod etiam obtinuit tunc,quando Conſtantius, Iulianus, Iouianus, atq; alij ſoli imperárunt. Etenim exiſtimatum eſt per tot ſeculorum decurſum nequaquam diuidi imperium aut poſſe, aut ſaltem debere. neq; dicas geminam fuiſſe ſedem Imperij,atq; adeò geminam fuiſſe imperij poteſtatem. Etenim abſq; dubio indiuiſum erat imperium tempore Conſtantini, ipſe tamen ſedem imperij geminauit.

Res autem ipſa tandem docuit poſſe Romanum diuidi imperium; quando Carolus Magnus Romæ Romanorum renunciatus eſt Auguſtus. nam diuiſioni tunc factum fuiſſe locum ex eo diſce, quia deinceps inter ſe non communicárunt Imperatores, diuerſæq; exiſtimatæ ſunt eſſe vtriuſq; ditiones. Adde inuito Orientis imperatore, & non conſentiente creatum fuiſſe Occiden-

tis Imperatorem Carolum Magnum. sic enim Eginhartus: *Inuidiam suscepti nominis, Constantinopolitanis Imperatoribus super hoc indignantibus, magna tulit patientia, vicitq; eorum contumaciam magnanimitate, qua eis procul dubio præstantior erat, mittendo ad eos crebras legationes, & in epistolis fratres eos appellando.* hæc ille. vides ægrè admodum tulisse Græcorum Imperatorem à Carolo susceptũ imperium Occidentis.

in Vita Caroli Mag.

Sed, inquit vir doctissimus, ex historijs constare grecos Imperatores agnouisse tandem imperium Caroli, vnde quis collegerit, existimasse Græcos Carolum esse imperij participem pro indiuiso. Verum enimuerò historiæ non dicunt Græcos putasse Carolum esse verum imperatorem, tantum narrant missos ab ipsis ad Carolum legationes pro pace impetranda. Quicquid igitur gesserunt cum Carolo, id totum profectum ex metu, quodq; viderent adeò potentem esse Carolum, vt non posset redigi in ordinem. Certè si Græci potuissent Carolum de tali fastigio deijcere, non id omisissent.

Differet aliquis, si diuisio imperij facienda fuit, à nullo poterat fieri, quam ab ipsis imperatoribus. Neque enim quisquam statuere potest de imperio nisi imperator, aut deficiente imperatore Senatus. tempore porrò Caroli Magni vix videtur fuisse Romæ Senatus ob maxima mala, quæ perpessa fuerat vrbs, non semel prorsus direpta, & ferè desolata. Senatus verò Constantinopolitanus, si tunc Senatus erat, nihil contulit imperio Caroli promouendo.

Respon-

Respondere possum, Carolum tam bene fuisse meritum de Pontifice, deq; Romanis, vt cum viderent eum posse armis tueri suam dignitatem aduersus quoscumq; nõ dubitárint fortissimum principem imperatorem vocare. Multa itaq; conspirárunt in efficiendo Carolo Imperatore, ratumq; fuit factum, & visi sunt auctoritatẽ habere, qui fecerunt, quoniam nullus poterat facessere negotium aut Carolo, aut Pontifici, aut Romanis. quod si pacificè, & remota omni vi, sepositoq; metu ob potentiam Caroli, militaremq; præstantiam Francorum, fuisset agendum nunquam Carolus imperator fuisset dictus.

Tantum imperium Occidentale, idq; non totum à Græcis ad Francos translatum.

Cap. XXI.

SVnt nonnulli, qui perinde loquuntur de translatione imperij ad Francos à Grȩcis, ac si Pontifex omninò Græcos imperio toto exuisset. quod effatum audacia non caret. Etenim ipse Carolus appellando Græcos imperatores fratres, mittendoq; & suscipiendo legatos agnouit eos imperatores esse. Pontifices quoq; cum Grȩcis post tempora Caroli Magni sic egerunt, vt eos agnouerint esse Cȩsares. ne alia referam, duo Concilia Oecumenica Lugdunense, & Florentinũ id clamant. Translatio igitur sic accipienda est, vt intelligamus Occidentale imperium, nec totum ablatũ

Græcis, translatumq; ad Carolum Magnum. Hoc monere volui, ne quis aliquorum dictis, qui minus accuratè loquuntur, decipiatur.

De Ludouici confirmatione, qua discimus posse Imperatorem pietatis causa, donare Pontifici. Cap. *XXII,*

APud Sigonium Anno 817. extat Ludouici confirmatio, qua rata habet pacta inita inter decessores suos patrem & auum, & inter Pontifices; confirmat autem Pontificibus vrbes, oppida, castella, viculos, territoria, omniaq; singillatim recenset. Nonne eiusmodi confirmatione docere nos voluit, imperatorem posse donando multa transferre in Pontificem pietatis causa? Scio non deesse, qui Confirmationem Ludouici, vt notham admotis multis machinis expugnare satagunt, sed nihil promouent. res ipsa eos refellit. quando enim Pontifex cœpit dominari Romæ, Romanæq; ditioni, qualis quidem hodie est? eius initium non videtur posse tribui alijs, quam munificis imperatoribus.

Domi-

Dominationis Romanæ ingens secretum aut constitutum, aut emissum à Gregorio V. Pontifice, qui sanciuit, vt deinceps soli Germani eligant Imperatorem. gemino sensu posse intelligi Pontificem esse caput populi Romani.
Cap. *XXIII.*

GRegorius Quintus natione fuit Saxo, Bruno antea dictus, Othoni tertio sanguine iunctus. adeptus Pontificatum fauente illo ipso Othone, à Romanis vexatus aufugit Roma in Etruriam. Imperator de fuga accepto nuncio, cum instructo exercitu Romam illicò se conferens consanguineum suum dignitati restituit. Pontifex relaturus gratiam Cæsari, vlturusque iniuriam, qua affectus fuerat à Romanis, rogante, & impellente eodem Othone, constituit, vt deinceps à solis Germanis eligeretur Imperator, non ab vlla alia natione. id narrant ipsi Germani, vt videre est apud Bellarminum, & Franciscum Ioannetum, qui ex scriptoribus Germanis cõposuit librum de Vitis Pontificum. Agnoscit, qui legit vitam Gregorij Quinti ingens profectò mysterium aut conditum, aut emissum in omnium notitiam, vt deinceps non Itali, & Romani, non Franci; non vlli alij, sed soli Germani eligere & renunciare possent Imperatorem; vt intelligat vir doctissimus, & eruditione insignis, an dici possit populus Romanus

lib. de transl. imperij.

in Greg. V.

nus

nus hodieque habere ius eligendi imperatorem, itane Romani possunt creare hac tempestate Cæsarem? quid facies de ijs, quæ Gregorio Quinto magno historicorum consensu traduntur? abolebuntur, nihili fient.

Sed dices, populum esse perennem, vt perennia sunt flumina, Aristotelemq; comparare populum flumini. Ergò idem semper cum sit populus Romanus, ipseq. olim eligere soleret Imperatores, cur ei hanc detrahemus potestatem, dignitatemque? inquies etiam Pontificem Romanũ esse caput populi Romani. Pontifex porrò posset hodie auferre à Germanis ius eligendi Imperatorem, alijq. nationi tradere, aut Romanis reddere, vt intelligamus populum Romanum saltem in suo capite retinere summam auctoritatem in eligendo Imperatore, aut nominandis electoribus imperatoris.

Verum hæc non nituntur solido fundamento. nam populus quidem semper idem est in vrbibus, quæ non destruuntur, & funditus euertuntur, si populũ cõsideres, vt est multitudo hominum. idem tamen non est semper populus, si libertatem, si iura, si priuilegia, imperium respicias. impacto aratro mœnibusq. euersis scimus solitum auferri ius ciuitatis quibusdam vrbibus deuictis, quod euenisse scimus Carthagini. Quis asseret populum Carthaginensem hodie eumdem esse cum eo, qui decreuit, gessitq; bellum contra populum Romanum?

Ne autem fallamur ambiguitate, dum Pontifex vocatur caput populi Romani, necesse est nos scire caput dici aliquẽ populi, aut ratione imperij, aut ordinis tantũ.

ratio-

ratione imperij dicitur qui princeps eſt, imperatq. abſoluto iure populo. Caput, ratione ordinis in Republica dicitur qui primus quidem eſt dignitate, ſed ſocios habet auctoritate indiuiſa, vt caput dici poteſt Venetorum Dux ipſe.

Pontifex eſt caput populi Romani, quia iura Maieſtatis, ſummique imperij in ipſum habet, nequaquam autem vocatur caput Romanorum, quaſi & ipſi in ſocietatem veniant poteſtatis, & auctoritatis. Pontifex itaque tranſtulit ius eligendi in Germanos nulla planè habita ratione Romanorum, & inuitos multauit iure eligendi. hinc fatemur poſse Pontificem in alios transferre ius eligendi, ſed huiuſmodi poteſtatis ne hilũ quidem ſitum eſt penes Romanos.

Gregorium VII. primum omnium ſic feriſſe Anathemate Henricum III. vt ſpoliarit Imperio. An Gregorius III. ſic ſe geſſerit cum Leone Copronymo? Cap. XXIV.

ETſi Leo Tertius dixerit Imperatorem Carolum, nihil tamen diſertè protulit de Græcis ſpoliatis ea parte Imperij: quis ergo primus Pontificum hoc ſecretum protulit, vt ſciremus Imperatorem poſſe à Pontifice Romano ſpoliari, exuique imperio? Sigonius in Henrico III. ſic ſcribit: *extabant præclara Gregorij Secundi & Tertij Pontificum Romanorum exempla, qui minoribus opibus præditi Leoni Iſauro Sacris interdicere, &*

iura-

iurata Italiæ obedientia spoliare non dubitarunt. Ioannetus quoq; scribit *Gregorium Tertium* Leonem Tertium Imperatorem Constantinopolitanum imperio, & fidelium simul communione priuasse. Sed satius fuerit audire Zonaram: *Gregorius, qui tum Romæ veteris Ecclesię gubernabat, repudiata societate præsidis nouæ Romæ, nec non eorum qui illum sequerentur, illos vna cum Imperatore synodico Anathemate obstrinxit, & vectigalia, quæ ad id vsq; tempus imperio inde pendebantur, inhibuit, icto cum Francis fædere.* hæc Zonaras. vides non eo progressum Gregorium, vt Leonem prorsus imperio, & dominatione Italiæ deijceret, tantum vetuit ne penderentur vectigaglia.

lib. de vitis Pont. Rom.

Quando ergo intelligere cœpit Christianus orbis posse imperatorem sic percuti Anathemate à Pontifice, vt etiam exuatur imperio? Constantius, Valens, Iulianus, atque alij de fide non rectè senserunt, nihil tamen quisquam in ipsos est molitus. quin promiscuè orbis Romani incolæ paruerunt tam Iouiano Catholico, quàm Constantio Ariano, & Iuliano Gentili, Religionisq; Christianę desertori. Primus omnium Gregorius VII. Henricum Tertium sic excepit, vt *ipsum regio Germaniæ atque Italiæ titulo, & iurato Principum populorumque obsequio abdicarit, & sacro Anathemate obligarit.* Verba decreti Pontificij talia erant, nec omnia appono: Henricum toto regno *Germaniæ atque Italiæ interdico, & omnes Christianos vinculo sacramenti, quo se illi obstrinxerunt, exsoluo, & ne quisquam ei, vt Regi, obtemperet, veto.* hęc ibi. erant tamen, qui dicerent Regem Anathemate

Sigon. in Henr. III.

mate non posse obstringi, respondit Gregorius, vsus illis verbis Christi: *pasce oues meas*, addiditq; Reges nequaquam exceptos. si regeras Theodosium anathemata obstrictum à S. Ambrosio, & proinde morem obstringendi anathemate Cæsares non esse in hæc tempora referendum, respondebo S. Ambrosium saltem disertè de ablato imperio, deq; populis vinculo iuramenti solutis nil protulisse, quod tamẽ in decreto Gregorij reperire est. robur porrò infuisse Gregorianę cẽsuræ ex eo collige, quod Sigonius narrat perlato in Germaniam decreto plerosq; Principum cœpisse Henrieum auersari, cumq; ipse Vormatiæ vellet conuentum agere, neminem occurrisse.

Eò tandem deuentum, vt Romanus Imperator dicatur non qui imperat Romæ Romanisq; sed qui Romanæ Ecclesiæ est defensor. Cap. XXV.

ROmanorum Imperator videtur dicendus ille, qui in orbem Romanum ipsamque Romam Imperium habet. sic olim sanè res habuit: sed deinceps emanauit hoc secretum, quo pronunciamus Imperatorem Romanorum esse defensorem Ecclesiæ Romanæ. Quando arcanum istud sit euulgatum, difficile est dicere, nec vno modo loquuntur scriptores. plerique tempora Caroli magni ob oculos sibi ponunt, aut filij: licet

in vita Caroli legimus: Carolo eunti Romam *missa* fuisse *obuiam vexilla Romanæ vrbis*, ille ipse Romæ cum esset, *Iussit eos qui Papam dehonestauerant, exhiberi, & habita de eis quæstione secundum legem Romanam, vt maiestatis rei, capite damnati sunt*. Paulo post talia reperiuntur. *ordinatis Romanæ vrbis, & Apostolici totiusq; Italiæ non tantum publicis, sed etiam Ecclesiasticis, & priuatis rebus (nam tota hyeme non aliud fecit imperator)* his alijsq; minimè negotium facessentibus in eam sentẽtiam itum est, vt asseramus imperatorem Romanum dici non qui habet imperiũ, & potestatem in vrbem Romam, & Romanos (nam Romæ & Romanis solus imperat summus Pontifex) sed qui defensor est Ecclesiæ Romanæ. Nam non alia de causa imperator est dictus Carolus exclusis Græcis, nisi quia Græci non defendebant Romanam Ecclesiam aduersus Longobardorum vim, horribilesq; excursiones.

Sed quæres, quibus viribus vtendum imperatori aduersus hostes, si non pendat Roma & Romani vectigalia, aliaq; suppeditet, sine quibus exercitus ali nequeũt, oportet profecto exiguas esse vires eius Imperatoris, qui caret dominio Italię. Respondebunt Romani vtẽdum Germanicis, Gallicis, Hispanicisq; auxilijs. At Gallia, Hispania, non amplius parent Imperio: sic cogimur fateri nõ admodum promptum posse Ecclesiam Romanam defensorem habere, qui destituitur plerisq; omnibus regionibus, quæ parebant olim imperio Romano.

Inui-

Inuitis Romanis Ius eligendi tributum fuisse Germanis, Carolum autem renunciatum Imperatorem volentibus, assentientibus Romanis. Cap. XXVI.

NE putemus eodem rem gestam modo, quando Leo Tertius Carolum renuntiauit Imperatorē, & Gregorius Quintus ius eligendi Imperatorem, tribuit Germanis. etenim hic vt multaret Romanos sanciuit, vt deinceps soli Germani eligerent Imperatorem; ille cōsentiente, & acclamante populo Romano coronam Cæsaream capiti Caroli imposuit. Hinc Io. Bapt. Egnatius: *Leo Pontifex Scito Romani populi, cleriq; rogatu Carolum Romanorum imperatorem primus appellat.* hæc Egnatius. apud Sigonium ista reperimus: *Leo Carolo coronam imposuit. quo facto populus vniuersus ter voce clarissima lætissimus acclamauit: Carolo Augusto &c. inde Imperatorius illi titulus à populo confirmatus est.* vides suas fuisse populo Romano in hac re partes. Ioannetus in libro Pontif. Roman. ex Germanis desumptus auctoribus similiter inquit: *Leo Papa Scito, ac precibus populi Romani Carolum Imperatorem pronunciat.* hęc Ioannettus. Sigebertus, & Vincentius Beluacensis testātur, Romanos, qui iamdiu animo desciuerant ab Imperatore Constantinopolitano, nunc omnium consensu Carolo acclamare, *eumqae per manus Leonis Papæ coronare, Cæsarem, & Augustum ap-*

lib. 3. Roman. Prin. an. 801.

pellare. quibus verbis viderint aliqui quantum populo Romano tribuatur; quasi quicquid egit Pontifex, id egerit voluntate populi, à quo Carolus est Imperator appellatus. Non desunt tamen qui contendant nullum Scitum populi interuenisse, vt Carolus renunciaretur Imperator, nec enim eius aut Eginhartus, aut author annalium apud Pithœum, aut alij vetustiores mentionẽ faciunt. Illud verò durum fuit, & pergraue, cum populo Romano prorsus auferretur à Pontifice ius eligendi Imperatorem, Germanisque traderetur. sic prodijt abditum, cognoueruntq; eum esse Imperatorem Romanorum, qui à Germanis eligatur, etsi ipsũ ne quidem de facie norint Romani. Tantum potest militaris potentia. nam populus Romanus, si imbecillitate non laborásset, omninò oppugnásset Germanos, eisq; eripuisset ius eligendi Imperatorem.

Videat,

Videat, & Referat perillustr. & Excell. D. Bernardinus Penna in Almo Stud. Pis. Pub. Lector &c.

P. F. Lantes Vic. Gen.

Ex Commissione Illustriss. & Reuerendiss. D. P. Ioannis Lantes Vicarij Illustriss. & Reuerendiss. Archiepiscopi Pisarum, &c. Ego Bernardinus de Nobilib. de Penna Baleonius Perusinus in Almo Pisano Gim. professor vidi & accurate legi librum, cui titulus de Euulgatis Imperij Arcanis. Excellentiss. Domini mei Paganini Gaudentij in Pisano celeberrimo Liceo professoris, & nihil in eo reperi Catholicæ fidei, Sacris Canonibus, & bonis moribus contrarium, imo cum admiratioue existimo opus esse ingenij, & eruditionis plenum & vere arcanum, ad vtilitatem eruditorum typis mandandum. in quorum fidem &c. Pisis anno 1640. die 3. Maij.

Ego Bernardinus qui supra manu propria ad fidē &c.

Imprimatur si videtur P. Inquisitori Gener. Pis.

P. I. Lantes Vic. Gen.

Videat & referat perillustr. & adm. R. P. Io. Donatus Antellen Ord. Prædic. Magister Consultor Theologus, &c.

P. F. Manzonius Inq. Gen.

Iussu Reuerendiss. P. Inq. Gen. Pisar. Opus attentè vidi, cui titulus de Euulgatis Imperij Arcanis, Præclariss.

rifs. & Doctifs. viri D. Paganini Gaudentij, nihilq; in eo animaduerti Catholicæ fidei, Sacris Canonibus aut bonis moribus contrarium, quinimò eius mira fubtilitate donatum, eruditione repletum, & omnibus numeris abfolutum, omnes lectores in fui auctoris admirationem trahet; quapropter omni titulo, illud impreffione dignifsimum iudico: Datum in Conuentu Sanctæ Catharinæ de Pifis Ord. Prædicatorum die 4. Iunij 1640.

F. Ioannes Donatus Antellenfis S. Theol. Mag. in vniuerfitate Pifana publicus Metaphyficæ profeffor, & Confultor Sancti Officij.

Imprimatur.

F. Io. Donatus Antellensis Magifter, & Confultor Sancti Officij Pifarum.

Attentis retrofcriptis relationibus imprimatur opus feruatis feruari folitis D. die 30. Iunij 1640.

Vincentius Rabatta Vic. Flor.

Imprimatur Florentiæ 1. Iulij 1640.

F. Io. Muzzarellius Inq. Gen.

Alexander Victorius Serenifs. M. Ducis Aud. & Senator.

Dum

Dum cuditur liber, & ego aliquam do operam, ne tempus prorſus fallatur, nati ſunt hi verſiculi, quorum lectionem ſi quis omittere velit, me certè non vtetur irato.

De Tacito euulgante Arcana.

ACclamare lubet: CORNELI ſcriptà perennent,
Et dextris vigeant Palladis auſpicijs.
Bibliothecarum meliori in ſede ſuperſint,
Non ſubeant furui lurida regna Dei:
Namq; Dynaſtarum regalia iuſſa renarrant,
Nec Tiberî fraudes delituiſſe ſinunt.
Vt liceat latebras Aularum in luminis auras
Ducere, et abſtruſos explicuiſſe dolos.

De Claudio præter expectationem euecto ad imperium.

Claudius è latebris repens, è limine Mortis
Extractus propero militis imperio;
Fortunæ inſolito auſpicio, Capitolia ſcandit
Cæſar, & Aeneadas in ſua iuſſa trahit.

I nunc,

I nunc, qui Sortem exagitas, qui Fata repellis,
Exq; humili miseros surgere posse nega.

De Diocletiano amplexo vitam priuatam, relicto imperio.

Postquam Cæsareo fregisti robore gentes,
Quæ renuunt Latio subdere colla iugo;
Regali cedis solio, generose Diocles,
Et sophia excelsus sub pede sceptra teris.
Postera sic nunquam te dicere desinet ætas
Inuictumq; Ducem, magnanimumq; Sophum.

De Gregorio V. qui electionem imperatoris addixit Germanis.

Germanæ addixit genti suffragia regni,
Saxonico cretus sanguine Gregorius.
Quid mirum, si post seriem mutabilis æui
Germanorum Aquilas nunc quoq; Saxo fouet?

DE AMBIGVITATE CVI OBNOXIA SVNT

Arcana regnorum euulganda;

DISSERTATIO,

IN MAGNA GYMNASII AVLA recitata Pisis.

ARCANA Regnorum, & Rerumpublicarum dum euulgantur, imo conduntur, ambiguitati non leui præbetur anſa, dum id, quod hactenus vſurpatum non fuit, percellit mentes, ſuſpenſoſq; animos in varias diſtrahit partes: Quin eò res quandoq; progreditur, vt arma ſumantur, certeturq; in vtramq; partem, & illuc trahatur arcanum, quo alea Martis, ſortiſq; arbitrium vocat, imò impellit, præcipiteſq; dat ciue , incolas. quod ſtrictim, paucisq; effatus ſum verbis, vt oſtendatur à veritate non recedere, lubet veſtra, Auditores, fauente humanitate ex omnigena hiſtoria repetitis exemplis oſtendere, ne oſcitanter legamus annales, ſed ſingula ad robuſtam rerum ciuilium transferamus cognitionem. Quid quæſo Thebanum bellum peperit? euulgatio Arcani, aut ſi lubet aliter loqui diſceſſio à pacto, quod ob arcanum euulgatum fuerat inter duos fratres Etheoclem, & Polynicen, initum. nam Heroicis, antiquiſsimiſq; temporibus exploratum non erat, debere Patri vita functo ſuccedere in regno tantum maximum natu filium, excluſis reiectiſq; reliquis. Ergò certatum inter duos fratres, & quia Thebæ diuidi nō poterant, & regnum erat indiuisum, placuit, vt alternæ eſſent regnandi vices. Durum viſum ei, qui primus dulcedinem imperij deguſtauerat, elapſo anno locum fratri tradere. hinc cruētum, acerbumq; bellum, quod vtriuſq; attulit ambitioni finem.

Verum hæc nonnemini ex vobis videntur nimis priſca, nimiumq; à noſtris ſubmota temporibus. Ergò

non ita vetuſtum pro illo antiquiſſimo, & ferè fabuloſo prodeat exemplum, quod nobis exhibent Turcarum annales. nam mortuo Braiazete, quem vicerat Tamurlanes, inter tres eius Filios de imperio orta controuerſia. Arcanum ſcilicet nondum Euulgatum erat, vt intelligerent mortales ſub Oſmannidarum degentes ditione, maximum natu filium debere patri mortuo ſuccedere, fratrum non habita ratione. id non videbatur adhuc eſſe exploratum, quando infelicem animam exhalauit captiuus Baiazetes. certatum igitur acerrimè pro regno, & prope vniuerſa res Turcicæ dominationis data exitio, donec eluctatus maximus natu oppreſſit reliquos, docuitq; feliciter cui nam ex pluribus fratribus ſceptrum deferendum foret. hinc ortus mos, barbarus ille quidem, & crudelitatis non expers, quem tamen, vt neceſſarium, & ad quietem imperij facientem deinceps vſurpârunt, vt maximus natu pro lubitu è medio tollat fratres. quem tamen manſuetudo, qui Chriſtianos decorat, prorſus damnauit, reiecit.

vi le Annal. Leunc.

Sed nequaquam arcanorum aliorum expers eſt Chriſtiana hiſtoria. accipite hoc prorſus ſingulare. Cum Reges Galliæ quietem, tranquillamq; vitam adeò ſectarentur, vt permiſſa totius regni adminiſtratione Maiori Domus, laterent inglorij, ſemelq; tantum quotannis ſe populo conſpiciendos præberent, ipſa natura viſa eſt parturire ſecretum, excitareq; Maiorem domus, vt ex Ordinibus Regni, vel potius ex ſummo Pontifice Romano, quæreret: quiſnam mereretur dici Rex, an

qui ſemper lateret, nunquam procederet in bellum, nullos labores pro ſalute populi ſubiret, an qui laborioſa exercitatione incolumitatem regni procuraret, promoueret, caput periculis obijceret, hoſtiles infidelium acies profligaret? Reſpondit velut ex cortina magnus Hierarcha: laboranti, curas ſubeunti, non otioſo, non latitanti regium eſſe tribuendum faſtigium, titulum. hinc adeò factum, vt nemine ex proceribus Francis reluctante Childericus, vt iners in cœnobium detruſus fuerit, ad regiam dignitatem regalemq; apicem euecto Maiore domus.

Fert nunc animus ad recentem hiſtoriam (nam recentium incurioſos non moramur) tranferre ſermonẽ. Oſmannus Turcarum Imperator, frater Amurathis, qui nuper obijt Byzantij, ſua ferocia, efferaq; agendi ratione iram militum in ſe deriuauerat, à quibus deſtitutus, vinculis eſt traditus, iuſſuq; Muſtaphæ patrui, in ſede Cæſarea collocati, laqueo necatus. quam magno diſcrimini expoſita eſt ſumma rerum Oſmannicarum eiuſmodi nouitate. Non viderant ſcilicet elapſa tempora audaciam militum apud Turcas eò deueniſſe, vt non dubitarẽt deijcere de ſolio imperij Imperatorem, aliumq; ad id euehere. coacti tamen ſunt omnes, quotquot addicti ſunt Turcicæ potentiæ, addiſcere hoc ſecretum; poſſe Imparatorem Turcarum à militibus deijci, alio ſubſtituto.

Hoc arcanũ non diu poſtea ab alio exceptum eſt. nã Senatus animaduertit Oſmanno ſubſtitutum Muſtapham prorſus ineptum eſſe ad gerendam Rempublicã Quid

agerent

agerent Proceres, quò se verterent destituti capite? in re noua, nouo more se gesserunt. nam Mustapham exuerunt Maiestate, Cæsareoq; apice decorárunt Amurathem, Osmanni non ita pridem interempti, fratrem. En nouitatem arcani, necessitate obstetricante apud Turcas euulgati, posse scilicet à Senatu, quem Diuan appellant, deijci imperatorem, si fatuus deprehendatur, extolliq; alium, ex quo tamen nemo non animaduertit posse ingentes existere tumultus.

Rursus cum nuper violento morbo intra quatriduum interierit Amurathes, relicto vno atq; altero filiolo infante ad nouum secretum confugiendum fuit Byzantij. Ibraimus namq; frater Amurathis arripuit imperium neglectis infantibus filijs fratris, cum numquam adhuc in serie Osmannicæ stirpis euenerit, vt imperator obierit non relicto filio, qui foret ętatis aptę ad imperandū. An hoc arcanum sit daturum turbas, tempus nos docebit.

Vocat iam nos Gallia, in qua si contingat obire Regem relicto filio qui ad decimum quartum ętatis annū non pertigit, cura Regni incumbit primo Principi ex sanguine Regio. interfecto autem à teterrimo parricida Henrico Magno, cum ipse paulo ante obitum totius regni procurationem demandâsset Reginæ, euenit, vt absente Mediolaniq; captiuo Principe Condæo, nō difficulter etiam annuente comite Suessionensi, ipsa pupilli Regis tutricem, totiusq; Regni moderatricem egerit. quæ res ingentibus motibus non potuit non esse vicina.

Sed

Sed ipse Henricus Magnus quos labores exantlare coactus fuit, vt regnum iure sanguinis sibi debitum obtineret? Imputandum id arcano, nam nunquam Gallia viderat eum, cui ex stirpe regia nato deberentur habenæ regni, dissentire ab Ecclesia Romana, & nequaquam Catholicam colere religionem. Hinc inter Gallos ingens exortum dissidium aliquibus ius successionis in Henrico defendentibus, alijs in eodem nouitatem sacrorum oppugnantibus. Sed obuiam itum arcano, à virtute inuicta Regis, & à sapientia. nam antequam dederet manus Catholicæ veritati, non semel Victor vires hostium ad imbecillitatem redegit, ostenditq; se dignissimum, qui bellicosæ, fortissimæq; Nationi iure Regio præesset; deinceps non vi, non metu, sed suauem in modum agente diuina Prouidentia, & impellẽte ratione ea Sacra suscepit, quæ professi fuerant per tot secula in Gallia Reges decessores. O factum bene, ò sanctas vices, Regeq; tanto, cui res fortiter gestæ cognomentum Magni pepererunt, dignas.

Non pauca in idem argumentum recentissima tempora, quæ oculis nostris vsurpamus, in aceruum adferre possent, si luberet, sed non lubet, quod quæ Reges, Principes adhuc superstites gerunt, nonnisi præsenti cum periculo aut publicis congressibus committantur, aut literarum monumentis mandentur. Ita cogimur ijs, quæ iam recitauimus esse contenti, & quę poterant addi, priuatis potius reseruare colloquijs.

Recitata hæc à me sunt sub finem publicarum prælectionum Anni M. DC. XXXX.

DE

DE SCRIPTORIBVS A' POLITICES STVDIOSO legendis,

Dissertatio itidem habita Pisis.

AD sapientiam qui vult gradum promouere feliciter, oportere peritum esse insignium scriptorũ, in ea disciplina qui excellunt, quam addiscere satagit, vos, Auditores, vnà mecum & nostis, & fatemini. Sic non miror ex vestro numero non deesse, qui non semel à me petierunt, vt quandoquidem inter enarrandum Tacitum contingit politicorum præceptorum fieri mẽtio, aliqua prelectione expediam semel, quinam potissimum legendi ab eo, qui inter Politicos aliquando recenseri cupit, aut saltem expers non esse vult eius facultatis, quæ vitam ciuilem non patitur salubrium cõsiliorum carere apparatu. parebo rogantibus, parebo rem iustam postulantibus; quamuis respondere possem paucis verbis, vnum Tacitum satis esse posse, neq; nos alio indigere Magistro, quando Ciuilis sapientia plenis labris est haurienda, imò potanda. quid enim inexpeditum generosus scriptor reliquit? Iustus profectò Lipsius, vir sapiens, politicorum accuratissimos cum cõflaret

flaret libros, perquam frequenter Tacitum in aciem prodire iussit. Aliquot etiam viri graues, inter quos Annibal Scotus, Maluezzius, Ammiratus annotationibus, dissertationibus politicis historicum summum illustrare non dubitârunt, rati nusquam melius Monita ciuilia enarrari, quam apud eum, qui fons est inexhaustus prudentię politicæ. insuper enim habeo, flocciq; facio nonnullorum callidorum nebulonum satyrica, maledicaq; dicta, quibus efficere conantur, vt ex manibus Principum, nobiliumq; Virorum scrinijs excutiatur magnanimus Auctor. Etsi autem apud nonnullos simplices adolescentes, & apud mulierculas fidem inueniant; male tamen audiant necesse est apud viros, apud robusta ingenia, qui etiam norunt, cur odio plusquam Vatiniano excelsas narrationes Cornelij prosequantur. Debebant saltem cogitare, quandoquidem pij volunt videri, dum se religione aduersus omnes tuentur, Magnanimi Leonis X. Pontificis summi auspicijs & auctoritate è situ, & latebris erutum Tacitum, postq. diuturnum aliquot seculorum silentium cœpisse loqui, mortalesq. docere. Sed addamus sanè Tacito alios vitæ ciuilis enarratores. Nam quis dubitet frequenter in manus esse sumendos diuini Platonis libros de Republica, de legibus? O' nos beatos, beataq. tempora habituros, si magni Magistri dictis morigeras apponeremus aures. Memini tamen non defuisse audaculum quendam Iuuenem, nunquam virum futurum, qui impuro ore auderet euomere conuitia in summum pręceptorem, quasi iustitiã in suis dialogis oppugnâsset, &

euertere conatus fuisset. sed quis nescit in colloquijs multa veluti contradicendo proferri, quæ nequaquam Scriptori, tamquam germanæ sententię, tribuenda sunt? Veritatem scilicet qui exponit, non pauca in aduersam partem disputat, vt omnia clariora, robustioraq. euadant.

Platonis vestigia excipiant libri Politicorum Aristotelis, in quos tot interpretes suam exercuere diligentiã, quos inter nouissimus celeberrimi nominis Vir, Daniel Heinsius paraphrasi exarata pręiuit omnibus, qui non infeliciter in Aristotele legendo versari cupiunt.

Memoro deinceps Polybium, qui licet Historicum agat, crebris tamen digressionibus politicarum præceptionum non sinit nos esse exortes. Cum verò à Perotto non videretur ea, qua par erat, dignitate exceptus, ipsi accuratissimam manum admouit Vir incomparabilis Isaacus Casaubonus, noua omnibusq; numeris absoluta versione donans optimum historiæ conditorem, quem vt totum, quantus quantus est, cognosceret Gustauus Suecorũ Rex, Magnus à suis post Theodoricum appellatus, linguam Græcam addidicit, deincepsq; Græce cum græco Magistro loquens, & verba commutans, salutaria prorsus dicta ad regnandum, ad militandum excepit.

Sed cur Thucydideam grauitatem omisi, quæ tantopere se in orationibus illis, quas habuerunt Oratores Vrbium bellum inter se gerentium, conspiciendam præbet? peccat profectò in sua commoda, quisquis ipsas non legit sæpe, & sæpius, vt cautus prudensq; accedat

ad tra-

ad tractanda bono omine Principum, & Rerumpublicarum negotia.

Nec negliget Vitas Romanorum, Græcorumq; Ducum, admirabili diligentia compositas, interq; se comparatas à sapiente Viro Plutarcho. Etsi enim in Historico argumento versetur, subinde tamen innuit, sapienterq; docet, quid agendum, quid vitandum rerumpublicarum moderatoribus.

Inspiciet etiam haud oscitanti oculo aliquot Senecæ opuscula, quæ tamen ad nimiam non transferet seueritatem, cum inepti euadant ad ciuilitatem, qui nimis anxiè moreq; Catoniano, & Stoico inspiciunt mores hominum in populari societate non semper ad obrussam rationis dirigentium acta. Homines profectò qui regere vult, cogitet necesse est vitia futura, quamdiu mortale genus non defuturum. nec sectabitur, & postulabit intentatis supplicijs quod raro, quod à paucis eximijs fit, sed contentus erit probitáte communem ordinem comitante.

An à Veteribus studiosus Politices se conferet quoq; ad nostrates? Quidni? vt tamen Antiquos pre nostris veneretur. Vitabit etiam scopulos ne impingat, quando, facultate impetrata ab Antistitibus, euoluet Andegauensẽ auctorem. huius profectò vsu qui caret, sibi ipsi magnum ciuilium cogitationum Thesaurum subtrahit. pronunciamus hoc audacter de doctissimo viro, fremãt licet nonnulli, qui cuperent suos tantum libros legi, cæterorum verò opera amandari, è cœtu hominum pelli.

Non vos insuper habebitis, o egregij iuuenes, quæ edidit Lanouius, cautè tamen euoluenda. non contemnetis Lipsium, aut Arnisæum, aut etiam, si lubet, quæ à Gallis quotidie vernacula lingua euulgantur. Ego verò præ omnibus, qui conciones nostra tempestate suis historijs inseruerunt, puto cognoscendum, imò ediscendum Eminentissimum BENTIVOLUM, qui robusto, minimeq; fucato sermone abdita negotiorum sub apertam lucem eduxit, effecitq. vt quisquis historicum ipsius opus in manus frequenter sumit, possit, si velit, aliorum tantisper seponere lucubrationes.

Et iam mihi videor, licet leui fortasse opera meum peregisse pensum, postque decursum huius Diatribæ stadium metam tangere, si tamen prorsus seriò subiungam, omnibus ijs, qui inoffenso pede cum Politicis scriptoribus incedere cupiunt, hoc obseruandum, vt pietatem Christianam Catholicamque, tanquam Helicen & Cynosuram, sibi ante oculos ponãt. Nam satis constat in aliquibus videri contrario studio, aduersaque fronte inter se pugnare Religionem, & Politicen. in quo certamine, siquidem conciliari nequeant, adque concordiam reduci, nemo dubitet palmam Religioni, primas partes pietati, ipsorum Regum fauente fastigio, tribuere, largiri.

Potest imprimi Florentiæ die 11. Iulij 1640.

F. Io. Muzzarellius Inq. &c.

Alexander Victorius Serenissimi M. Ducis Auditor, & Senator.

De eodem argumento, Iambi.

C Iuilium quiſquis cupis rerum ſalum
Dextro Aeolo, dextra Amphitrite findere,
Ne vota ſoluas littorali Numini,
Platonis aureas papyros conſule,
Quas exarauit impiger de Legibus.
Mox pulpitum Stagiræ alumnus occupet.
Hinc in tuas veniat manus Cornelius,
Quem nulla ſecla deſinent extollere.
Bodinus, Arniſæus, et Lanouius
Scientia replere poſſunt pectora,
Sed non vacant periculo, non omnia
Quæ tradidere literis amplectier,
Fas eſt Iuuentæ. cautus ergò ſelige
O lector, ex ingenti aceruo, quæ tuæ
Eant ſalubre mentis in compendium.

DE
FVNERE
HEROVM

EXERCITATIO,

In qua Homeri, Virgilij, Statij, Silij, & Nonni narrationes sic inter se conferuntur,

Vt quædam non prorsus obuia de Decursione Equestri, deq; Sacrificijs, quibus offeruntur res liquidæ, depromantur.

Lectori S.

OMnis eruditionis parens à ſapientibus olim, & noſtra tempeſtate cum fuerit appellatus Homerus, mirum non eſt, ſi non duntaxat Philologi, Rhetores, Oratores, verum & Philoſophi, Geographi, atq. ipſi etiam Iuriſconſulti ſubinde tanti hominis teſtimonio ſua dicta comprobare deprenſi fuerint. Quod cum præ oculis haberem, ſcripturus exercitationem de Funere Heroum, Homericam narrationem de Iuſtis ab Achille ſolutis Patroclo ante omnia putaui legendam, atq; relegendam, vt præcipua capita eiuſmodi apparatus nota perſpectaq; haberem. Hinc cum ſcirem Epicos Poetas, qui poſt Homerum & ipſi calamum ad exarandum poema appulerunt, Homericam Iliadem in conſilium vocâſſe, perq; veſtigia ſummi Vatis inceſsiſſe, ipſorum carmina de re funebri contuli haud indiligenter cum ijs, quæ mihi iam ſepoſita erant & excerpta ex diuina Iliade. Mox obſeruaui in quibus aut concinerent cum Homero Virgilius, Statius, Silius, Nonnus, & in quibus diuerſi abirent, proprioq; Marte incederent.

Sic mihi ſurrexit ſeges hæc

an digna, quæ in eruditorum se vertat commodum, imò succum, Lector? Vtinam hoc spondere queam Chartis, quæ tuos subeunt oculos, inq; tuo hærent limine cupidæ. quid verò dignius eiusmodi materia, & si in luctu versetur, & lacrymas memoret? etenim qua ratione memoriæ Heroum, optime de genere humano meritorum, postquam hinc in communem concesserunt locum, aut, vt melius dicam, se dignas adiere sedes, sit faciendum satis, ostendit, explicatq;. Certè & nuper hic Florentiæ cum florentē ætatem FRANCISCI Ionuillæ Principis mors, heu nimium crudelis, abripuisset, vniuersa Etruria in luctum se induit, & funerea pompa testata est, quæ iusta deberentur Principi Maiorum suorum, qui profectò Heroes meritò dicuntur, gloria dignissimo. Nec satis fuit curasse funus, nisi etiam Strozza, & Lanfredinus patritia nobilitate, & ingenio conspicui rem totam literarum monumentis mandassent, vt nulla ætas pietatem FERDINANDI II. Magni Etruriæ Ducis erga incomparabilem Principem aboleat.

Anti-

Antiquissimos Græcos putâsse superesse Animas post mortem, et esse aliquatenus corporeas cur simulacra *appellata sint?* Cap: I.

VNERA Heroum exhibent nobis antiquissimam opinionem Græcorum de anima. Homerus scilicet superesse animas post obitum disertè docet. cum dormiret Achilles superuenit in somno anima Patrocli.

Omnibus ipsi magnitudine, & oculis pulchris similis.
Et voce, tales circa corpus induta erat.

Extendit manus Achilles, vt eam prehenderet, sed frustrà. ipsa etenim euasit, vt fumus. exclamat idem Achilles

----- certè etiam est aliqua in inferni domibus
Anima, & simulacrum.
Astitit (Patrocli *) anima, similisq; erat mirè ipsi.*

Ab huiusmodi narratione videntur hausisse Platonici opinionem, quod aliquatenus sit corporea anima, qua de re Iohannes Grammaticus, qui putat separatam animam secum deferre sensitiuam facultatem, vt queat pati. putant etiam Platonici ex æthere descendere animas cum quodam tenui corpore, cæteroqui non possent, vt putant, coalescere, & coniungi cum corporibus nostris crassis, carneisq;

in 1. de anima

Hinc porrò deducere est, cur Homerus toties ani-

mas appellauerit εἴδωλα id est simulacra. existimauit nempè cum antiquissimis Grecis esse animam præditam tenuissimo corpore, quod quidem non possit cōprehendi, tale tamen sit, quod apparere queat in somno, & phantasiæ apparere sic, vt habere videatur similitudinem cum corpore, quod exanime abiunctum est ab anima. Hæc omnia deprehenduntur in narratione Homerica, & in vocabulo εἴδωλον latinè simulachrum.

Colore non prorsus carere animam, & lucidam esse existimat Tertullianus ex visione cuiusdam sororis.

Nequaquam autem prorsus certam, & exploratam putauit Poëta esse hanc de anima sententiam, siquidem Achilles ait esse aliquam in Inferi domibus animam, quasi tunc demum Achilles cœperit cogitare animas superesse post mortem. Sic Homerus videtur innuere multos opinatos fuisse tunc, animas nequaquam esse in domibus Inferorum.

Lubenter porrò Homerus arripuit sententiam affirmantem animas esse apud Inferos, cum videret id admodum facere ad scribendum poëma. Certè si non dicerentur apparere animæ viuentibus, non parum detraheretur epicæ poësi.

Vides etiam non ideò existimásse Græcos animam esse mortalem, quia aliquatenùs corporea est. Certè ex veteribus Scriptoribus Ecclesiasticis aliqui in ea fuerunt opinione, corpoream scilicet esse animam, nec propterea de eius dubitárunt immortalitate.

Stoici quoq; corporeas dixére animas, eas tamen superesse, saltem vsq; ad cōflagrationem mundi, responderunt.

Vide-

Videri Homerum putâsse tantum animas magnas superesse post mortem. eam in rem nonnulla proferuntur. Cap. II.

QVÆRO, an putauerit Homerus omnes animas superesse apud inferos post mortem? id videtur negandum. nam eius opinio erat (vt iam viri docti obseruárunt) animas eorum, qui intereunt in aquis prorsus interire. videtur ergò sensisse animam esse ex igne cum Heraclito. iam Stoici, qui sequebantur Heracliteam sententiam de ortu omnium rerũ ex igne, aiebant (saltem aliqui) animas plebeias esse caducas; & cum corpore extingui, magnas autem animas superesse, saltem vsq; ad conflagrationem mundi.

Sensisse Homerum Magnas tantum animas superesse, id etiam videtur innuere, quod Achilles dicit: *aliqua anima* est in domibus Inferni. non dixit absolutè animam superesse. Tacitus profectò ambiguè locutus est, & sapientum tantum animas superesse videtur dixisse: *si aliquis piorum manibus, si, vt sapientibus placet, non cum corpore extinguuntur magnæ animæ*. videnda quæ exaraui ad eum locum Taciti.

Si porrò magnæ animæ non cum corpote extinguũtur, & corporibus non sepultis, nec inferijs solutis, non admittuntur ad reliquas Heroũ animas, vides opus omninò fuisse curare funus illustrium virorum, quod propterea diligenter descriptum est ab Epicis Poëtis.

De ani-

De animarum reditu circulari quid videatur sensisse Nonnus? de praexistentia animarum aliquid profertur. Cap. III.

FVisse Nonnum Christianum credimus, quandoquidem exarauit paraphrasim in Iohannem. is ipse composuit Dionysiaca, in quorum libro 37. ait animas, quando homines moriuntur,

----- terrestria vincula fugere
Anima missa vnde venit, circulari vinculo
Metam ad antiquam.

Forte respexit ad verba Salomonis. *& spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.* Aut etiam potuit cogitare animas resolui in aërem, aut radios cœlestes, vnde multi putárunt conflari animas. Credibilius est putásse Nonnum redire animas in cælum, aut inferos, vnde aiebant Platonici, cum quibus sentiebat Origenes, prodire animas. hæc certè verba si non indicant clarè, saltem innuunt animarum præexistētiam, & circuitum per varias vices. sic sensit Origenes, qui tanta auctoritate præditus multos traxit in suam sententiam, quam etiam in Iohannem scribens appellauit *vniuersalem*, sic enim Camaldulensis vertit ibi Origenem. Quid memorem scriptores Ecclesiasticos nonnullos, qui videntur approbásse Origenicam animarum præexistentiam, quam tutari conatus est idem Origenes prolatis non paucis sac. litterarum testimonijs?

Dices

Dices, Nonnum quandoquidem fuit Christianus, explicandum obuio sensu, & ab omnibus recepto. Respondere est, videri vixisse Nonnum ijs temporibus, quibus vagabantur variæ opiniones. Nonne Ioannes Grammaticus mira dixit, tritheitesq; fuit? Et Synesius admissus est ad Episcopatum, etiamsi nollet profiteri resurrecturos mortuos?

Morem comburendi cadauera apud Græcos adeò esse antiquum, vt eius initium nequaquam inueniri possit. Cap. IV.

APud Statium sic iusta soluuntur Archemoro, vt pyra extructa exuratur puerile cadauer. Homerus corpus Patrocli igne absumptum refert. Eteoclis & Polynicis inuenta membra flammis traduntur, narrante Valerio Flacco. ijs, qui in bello occubuerunt contra Turnum rogi parantur à Troianis, flammaq; depascitur artus. quid memorem Ophelten, comitem Bacchi, quem mortuum in prœlio maximus ignis accipit? vltimæ vetustatis apud Græcos hæc sunt exempla, cum nulli liceat ire vltra historiam, quæ bellum Troianum, aut Thebanum, aut Bacchi expeditionem contra Indos memoriæ commendat. Hinc intelligimus initium reperiri non posse eius moris, qui corpora mortua comburebat apud Græcos.

Scio aliter se cum cadaueribus gessisse Ægyptios: sed num propterea existimabis apud Græcos primum

con-

consueuisse sepeliri corpora, & deinceps cæpisse comburi? quasi nesciamus nationes non vna viuere consuetudine. Neq; asseras vnum fuisse aliquando in toto orbe morem, qui deinde in varia abiuerit instituta. Nã tanta est humani generis in viuendo varietas, vt fidem non sis inuenturus apud quemquam, si asseras consueuisse aliquando omnes nationes corpora non exurere, sed integra mandare terrę. Scio Abrahamum sepeliuisse Saram. Talis erat illius regionis mos. Nonne autem tempore Abrahæ orbis totus repletus erat hominibus? ostende ergo, quisquis ex aduerso mecum altercaris, tunc consueuisse omnes siue in Græcia, siue in Italia, aut Germania, Indiaq;, vel Hispania more Ægyptio vti, & corpora sepelire. Hæc proferre lubuit, cum videam multos, quando de antiquitate morum agitur, solere omnia ad Hebræos, aut Ægyptios referre. quasi vna atque altera natio sit omnium, qui orbem terrarum prope immensum incolunt, regula.

De discrimine inter pyram, rogum, et bustum in re funebri. πυρκαϊὴ *quid sit apud Homerum, & Nonnum?* Cap. V.

APud Homerum vocabulo pyræ significatur strues lignorum parata ad recipiendum cadauer, vt cum ipso comburatur. dumq; comburitur sic appellatur, & postquam exinctus est ignis non aliud habet nomen. semel tantum pro pyra, vtitur nomine πυρκαϊῆς Home-

Homerica veſtigia ſequitur Nonnus, qui promiſcuè iam pyram, iam πυρκαϊὴν dicit.

Latini videntur diſtinctè pyram, rogum, & buſtum accepiſſe. Statius vbi agit de conſtruenda mole, in qua comburendum cadauer,

ait:-------*cumulare pyram.*

deinceps: -------*quid inania fertis*
buſta rogis?

ſermo eſt de Regibus, & proceribus ferentibus dona iacienda in pyram accenſam, quæ vocatur non pyra, ſed rogus. Buſta appellat dona, quia redigenda in cinerem, inq; buſtum.

obſeruauit ſignificatum rogi, quando inquit:

--------*luſtrantq; ex more ſiniſtro*
orbe rogum. Mox.

---------*multoq; ſoporant*
orbe rogum.

quamdiu ibi ignis, rogus dicitur.

apud Virgilium apparet clarius diſcrimen

-------*iam curuo in littore*
conſtituere pyras. Mox.
ter circum accenſos
decurrere rogos.

hinc----*ſemuſtaq; ſeruant buſta.*

vnde ſuam ſtruxit obſeruationem Seruius ibidem: *Pyra*, inquit, *eſt lignorum cõgeries, Rogus quum ardere cœperit, dicitur. Buſtum verò iam exuſtum vocatur, quem ordinem ſeruat Poeta.*

De coma coniecta in ignem. Heroem sic coli, vt Deum. expenditur ea de re Statij narratio, Cap. VI.

RES est protrita, vt coma abscissa à socijs, carisq; amicis, aut sanguine iunctis in ignem conijciatur. An vt Heroi, tamquam deo, res digna deo, & solita dijs offerri, consecretur absumenda? sic videtur existimandum. Etenim Achilles Sperchio fluuio suæ patrię pollicitus fuerat comam. cum verò resciisset se nequaquam reuersurum ad patrios lares, ea suum viduat caput, traditq; flammæ, alloquens Patroclum ijs verbis, quæ legi possunt apud Homerum. apud Virgilium, & Silium ne quęre comam, cum apud ipsos non comburatur cadauer in rogo. Nonnus sic narrat.

Multitudo ob mortuum

Luctuosas comas tristi amputauit ferro.

Mortuum alternis prorsus obumbrantes capillis.

dices, non iniectas fuisse in ignem comas. respondeo esse collocatas circa cadauer, vt ab ipsis vndiq; obumbraretur. cum verò cadaueri subiectus fuerit ignis, quis dubitet absumptas à flamma? sic videmus quandoq; fieri in funere Herois, vt coma prius abscindatur, cadaueriq; apponatur, quam pyra inflammetur.

Qua verò ratione se gessit Bacchus in funere dilectissimi Opheltæ? an comam more Achilleo abscidit? Nefas est ipsi intonsos capillos abscindere, perpetua

cum

cum fruatur iuuenta, vt tamen satisfaciat aliqua ex parte immenso erga amicum affectui

-------- *intonsi capitis*

cincinnum vnum amputans imponit munus Opheltæ.

apud Statium pater Archemori vouerat Ioui cæsariem abscindendam, si filius eò ętatis pertigisset, vt posset ponere barbam, eamq; ibidem Ioui in templo suspendere. suo desiderio cum videat se excidisse ------ *pectore*

Cæsariem ferro minuit, sectisq; iacentis (fusam
obnubit tenuia ora comis.

quin erupit in hęc verba.

-------- *alio tibi perfide pacto*

Iupiter hunc crinem voti reus ante dicaram.

vocat Iouem perfidum. & tamen ait Statius *fletu pió* talia verba miscuisse. An pius est, qui Iouem perfidum vocat? non piè se gerit Statius, qui talia viro prudenti verba impingit. Augetur impietas, dũ ait, Ioue digniorẽ esse Archemorum, licet vmbra sit, ideò ei tribuit comam. Sed nouum non est apud Scriptores Gentiles conuicia iaci in Numen, quando res aduersæ ingruunt. Certè Lucanus ait: Mentimur regnare Iouem. qua de re legi potest integra dissertatio in mea Academia disiunctorum.

An barba iaceretur in rogum in funere Heroum? confutatur opinio Placidij. Cap. VII.

QVęrendum híc, an rogo Heroum inijceretur barba quoq; præter comam? affirmat ſcholiaſtes Statij, dum inquit Lycurgum ſupra filij Archemori rogũ & barbam & comam reieciſſe, *ſupra vultum* inquit, *filij ſui, & comam miſit & barbam*. Inauditum hoc, barbam ſcilicet iniectam igni in funere. nam de coma res adeò trita eſt, vt tritior eſſe nequeat.

Sed conatur ſuum paradoxum ſcholiaſtes probare, quia Statius ſcribit de Lycurgo.

----- Tergoq; & pectore fuſam
Ceſariem ferro minuit, ſectiſq; iacentis
Obnubit tenuia ora comis.

in quibus verbis Scholiaſtes ait Statium *Cæſariem nouo ſermone poſuiſſe pro barba*. comprobari poteſt eiuſmodi interpretatio, quia niſi cæſariem accipias pro barba, ſuperfluus erit ſermo Statij, cur enim bis deſcriberet comam? cur iam cæſariem appellaret, iam comam? Reſpondere eſt, cæſariei nomine non poſſe intelligi barbam, cum cæſaries dicatur à Statio fuiſſe pectore & tergo fuſa. an barba poteſt per tergum dimitti? nequaquam. nominat autem cęſariem, quando ipſam abſcindit, quando verò ea tegit vultum filij, appellat comas. munitur mea ſententia, quia poſtea nominat *hunc crinem*. Neſcio autem an crinis nomen apud ſcriptores conueniat barbæ.

Sed

Sed dices, nonne ponebant in templo barbam? ergo recte Licurgus dicit se igni inijcere eam, quam suspẽdisset in templo cum barba filij. respõdere possum, comam solitam dijs consecrari. de coma igitur loquitur Lycurgus.

Cui parti cadaueris imponeretur coma abscissa? proferuntur loci Homeri, Statij, & Nonni. Cap. VIII.

COmas coniectas fuisse in rogum Heroum cum prorsus exploratum sit, disquirendum deinceps an cadaueri Herois, & cui parti potissimum imponeretur?

Apud Homerum Achilles abscissam comam ponit *in manibus* Patrocli. sed plurimi græci & ipsi sectos capillos vbi collocant? *Totum mortuum tegebant capillis, quos inijciebant, tondentes.* apud Nonnum, Bacchus cincinnum vnum abscissum vbi potissimum posuerit, non indicatur. tantum dicitur *imposuisse munus Opheltæ.* Milites verò Bacchi capillis sectis *prorsus obumbrabant mortuum.*

Apud Statium Lycurgus filij vultum (vt interpretatur Scholiastes) obnubit cæsarie ferro minuta. Poeta pro vultu dixit: *tenuia ora.*

An effuso humi aliquo liquore dicatur fieri res sacra? soluitur obiectio. Apud gentes potuisse quandoq; sacrificari absq; Antistite, & Sacerdote. Cap. IX.

EFfuso sanguine, vino, lacte non videtur facta res sacra Heroi. Etenim in sacrificio res, quę offertur immutatur, & destruitur. effusio autem non est destructio, non immutatio.

Puto responderi posse, fieri rem sacram effuso liquore, adhibitoq; aliquo ritu, inuocatoq; Deo, vel Heroe. Certè, vt alia omittam, Seneca moriturus rem fecit sacram Ioui, dum libauit liquorem (aquæ calidę) *Ioui liberatori*. idem ferè refertur de Thrasea, postquam enim effudit cruorem, humum super spargens, dixit *Libemus Ioui liberatori*. Quis neget rem sacram factam?

Tacit. ann. lib. 15. & 16.

Dices, nec Senecam, nec Thraseam fuisse Sacerdotem, ac proinde non peregisse rem sacram. idem obieceris de Scipione apud Silium, de Ænea apud Virgilium. Respondeo igitur, nationes non adeò fuisse anxias de Sacerdotio, vt non posset quisq; quando res postularet, nec adesset sacerdos, rem sacram facere.

Quod verò obijcere dicebamus nonnullos, liquore effuso non fieri rem sacram, quandoquidem sacrificium destruit rem, id facile disijcitur; cum liquor eo ipso quod effunditur, destruatur. Actũ profectò est de vino, quod funditur humi. Ita intelligimus Heroibus effusione liquorum rem factam.

An

An libatio duabus tantum rebus fieret lacte scilicet, et sanguine? deprehenditur error in Scholiaste Statij. Cap. X,

AD 6. Theb. Statij ad verba illa:

------ *libare dedisses.*

annotat antiquus Scholiastes Placidius, libationem duabus rebus expediri, lacte & sanguine. Non bene inquit: nam vinum quoque recensendum erat, potuisset id discere ex Virgilio:

Hic duo rite mero libans Carchesia Baccho
Fundit humo, duo lacte nouo, duo sanguine sacro.

& tamen Scholiastes profert Virgilij verba, in quibus fit mentio lactis, & sanguinis, omisso præcedente versiculo, vbi Bacchici liquoris fit mentio. quis tantam non miretur negligentiam? Cur verò lac & sanguis ita memorantur, vt alterum sit alimonium vitę retinendę, alterum virium continendarum? Atqui vinum non cedit lacti, nam etsi infantibus lac præbetur, viri tamē, qui barbari non sunt, longè lubentius vinum bibunt, quam vescantur lacte.

Dissimulandum etiam non est, minus rectè hæc de libatione lactis, & sanguinis obseruata fuisse ad verba illa Statij:

---- *libare dedisses.*

nā in his significat Lycurgus Rex, & sacerdos se si vixisset filius in templo consecraturū fuisse abscissā comam

filij

filij. quid verò hoc facit ad libationem ſanguinis, lactis? Nihil prorſus.

Lac non deeſſe in funere Herois. non tamen omnes Epicos eius meminiſſe.

Cap. XI.

MAgna lactis copia effunditur, quando inferiæ penduntur Heroi. apud Homerum veſtigium nullum lactis, quod miror. Silius de Scipione:

Ipſe tenens nunc lacte ſacro
plena pocula, aſpergit aras.

effudit ergo in altare lac ſacrum, hoc eſt, vt ſacram rem faceret. Statius:

Verguntur rapti gratiſſima cymbia lactis.

Caue putes igni infuſum, quod tamen Statiana verba præferre videntur, ſed malè. nam quod infunditur igni, iam non eſt ſacrum, ſed tantum inijcitur abſumendum. Melius Virgilius ait Æneam libaſſe duo carcheſia, & pocula plena *lacte nouo*. quod totum ad ſacrificium rectiſſimè refert Seruius.

Nonnus etſi lactis non meminit, tamen nobis præit, vt intelligamus apud reliquos Poëtas fieri mentionem lactis, vt ſacra Heroi res fiat. nam ait ab Aſterio effuſum vinum, *cum veneraretur animam ventiuagam Areſtoridæ.*

De ſanguine effuſo in funere Herois: deq; cauſa effuſionis. cur ſpargantur flores? Cap. XII.

Funditur humi ſanguis in funere Heroum, tum vt res ſacra fiat, tum vt anima aduocetur, alliciaturq; ſed prodeant ptimum verba Poetarum de ſanguine effuſo, vt deinceps de cauſa agamus, ob quam effunditur. apud Statium *vergŭtur atri ſanguinis gratiſſima cimbia.*

Apud Homerum mactantur equi, canes, iuuenes Troiani. nonne ſic effunditur ſanguinis multum? apud Nonnum itidem occiduntur duodecim Indi nigri, vt vndiq, manet ſanguis.

Alliciuntur abſq; dubio animæ effuſo ſanguine, vt diſcere eſt ex Obyſſea Homeri, & Thebaide Statij. qui verò rem ſacram facit Heroi cupit animam ipſius aduenire, adeſſeq; rei ſacræ, in quam rem etiam effunditur vinum, & lac. Non malè hæc diſſeri, oſtendunt Virgilij verſus.

Nam poſtquam Æneas fudit humi vinum, lac, ſanguinem, lubricus anguis ab imis adyti ſeptem volumina traxit, & agmine longo

Tandem inter pateras, & leuia pocula ſerpens
Libauitq; dapes &
--- depaſta altaria liquit.

Mox ſubijcit fudiſſe Æneam vina pateris, vocando animam Anchiſæ, & Manes. ſocij quoq; mactant iu-

uencos, rei sacræ, sanguinisq; causa.

Seruius, ne videatur aliquid otiosum dixisse Virgilius, sánguini adiungit flores, de quibus Poëta:

purpureosq; iacit flores.

ad sanguinis imitationem (inquit Seruius) in quo est sedes animæ. sic in 6.

purpureos spargam flores.

Quatenus effusio sanguinis sit sacrificium. duplicem in modum posse considerari eiusmodi sanguinem. quatenus igni peragatur res sacra. Cap. XIII.

QVando mactatur bos in honorem deorũ, effunditurq; sanguis, quæritur, qua in re propriè sitũ sit sacrificium, num in occisione, an in effusione sanguinis? quod situm sit in effusione sanguinis ex eo videtur colligi, quia sanguis seorsim & solus effusus est sacrificium, multò magis id dicendum de sanguine, qui effunditur mactata victima.

Respondendum nihilominus est, quando occiditur victima, in occisione propriè situm esse sacrificium, cum mutatio exanimet, ac destruat animal illud. Quis porrò nescit absq; destructione, & immutatione rei nunquam peragi rem sacram? ergo sanguinis effusio, quãdo mactatur victima, consequitur sacrificium ex natura ipsius rei, non quod sacrificium situm sit in effusione.

Vbi verò quis sumit, & adfert aliunde sanguinem,

non

non à victima mactata in honorem Numinis, illumque effundit, & spargit, sacro quodam ritu adhibito, eiusmodi sparsio amplectitur sacrificiũ. vt enim mactatione victima destruitur, ita sparsione sanguis perit, vt placetur Numen. quisquis porrò sacrificat, dicitur munera offerre deo. offert autem dum ritu quodam, non absq; pijs verbis ea immutat, vt sua amplius non sint.

Sed queres, cur si mutatio complectitur verum sacrificium, victima soleat non solum occidi, sed & comburi? Respondeo, & aio perfici sacrificium, & magis ac magis ostendi pietatem erga Deum, dum res non solum mactatur, vt nobis eius vita amplius nequeat prodesse, sed & comburitur in honorem Numinis. particula autẽ exigua solet inijci flammis, cum existimare par sit Numen non pasci tali igne, sed gratum habere nostrum obsequium.

Vbi autem peragitur sacrificium re inanimi, vt puta frugibus, similibusq; quæ nec animam habent, nec liquida sunt, adhibetur ignis, vix enim aliter commodè possent destrui. sic fructus imponuntur altari. vides quale sit discrimen inter ignem, qui adhibetur in victimis, & in frugibus, similibusq; nam in liquidis sufficit sparsio, & effusio.

De vino fuso humi, vt sacrificium peragatur Heroi. Statius minus accuratè locutum ea de re. Cap XIV.

DVplex est funereo in apparatu Heroum, vini vsus. nam vini tantum ingeritur pyræ, vt extinguatur, qua de re alio capite seorsim inferius agam. Rursus vinum effunditur ex poculo, vt honore diuino eiusmodi libamen afficiat vita functum. sic quidem opinor. dijs etenim effusione vini litatur, ne putes soli Baccho sic rem sacram fieri. sed prodeat Achilles Homericus, de quo sic Poeta summus ex latina editione.

23. Ilia.

---- at tota nocte velox Achilles
Aureo ex cratere habens poculum rotundum
vinum exhauriens humi fudit, rigauitq; terram.
Animam vocans Patrocli miseri.

apud Virgilium Æneas:

Hic duo rite mero libans carchesia Baccho Fundit humi.

ne putes, quia Bacchi fit mentio, oblatum fuisse vinum Baccho. etenim Bacchus merus, est vinum purum, quod fusum est humi in honorem Anchisæ tamquam Herois. hinc Seruius scribit: *ritè secundum ritum sacrificij, quod exigebat, vt libaret de mero Baccho, id est, puro.* Sacrificasse autem Anchisę Æneam Seruius rursus ibidē testatur, dum ait notandum, quia partim quasi mortuo pari numero sacrificat, partim impari quasi Deo.

Clarè autem Silius demonstrat, cur effunderetur vinum.

num; nam ait Scipionem tenentem *plena mero pocula* aspersisse aras. Nonne hoc est animæ diuinos honores impendere? Statius tamen sic meminit vini, vt videatur indicari infusum igni, atq; adeò nihil fecisse ad sacrificium. eius versus sunt:

Nec non Assirijs pinguescunt robora succis,
Pallentiq; croco strident ardentia mella,
Spumantesq; mero pateræ verguntur.

Sed etsi Papinius non ita disertè hæc narrando transtulerit ad sacrificium, illuc tamen transferenda esse & ratio, & auctoritas reliquorum poëtarum satis superq; ostendit: cum præsertim Nonnus omnem prorsus tollat ambiguitatem scribit enim---- *cum mœsto verò Baccho Asterius Dictæũ consanguineum sanguinem ferens Cnossium rotundum habens poculum dulcis vini Benefragrantem soli fusilem inebriauit puluerem.* hæc Nonnus, vt nouerimus cum pręeant reliqui poëtę, nequaquam vinum cõsueuisse in ignem vergi, sed humi fundi; minusq; accuratè se gessisse Statium, cuius narratio videtur confundere vinum cum ijs, quæ igni infundebantur. Vides quantopere referat componere scriptores inter se, eos scilicet qui de ijsdem rebus agunt, vt facta comparatione appareat, quinam accuratè, qui verò negligenter se gesserunt in tractatione eius argumenti, quod sumpserunt expediendum.

Spar-

Sparsionem florum non fuisse sacrificium, sed appendicem sacrificij.

Cap. XV.

QVia in funere Heroum sparguntur flores, quærendum est an sparsione florum fiat res sacra? id quis affirmet, cum effusione liquorum sacrificiũ peragatur, & flores dicantur spargi ad imitationem sanguinis, vt testatur Seruius.

Puto tamen dicendum sparsione florum propriè non intelligi peragi sacrificium. nam frequenter adhibita est sparsio florum in eos, qoos beneuolentia complectebantur Veteres. sic Liuius ait omnes tẽdere ad Imperatorem, coronas lemniscosq; iacere. Ouid. de Germanico triumphante.

lib. 33.

vndiq; iactato flore tegente vias.

verum quando inter sacra, & in re sacra spargebantur flores, eiusmodi sparsio existimabatur esse appendix sacrificij. ergò Virgilius:

5. æn.

purpureosq; iacit flores.

nam antea fuderat humi vinum, sanguinem, & lac, quã effusionem vt magis ac magis gratam redderet, placuit flores quoq; spargere.

Nec destruuntur flores, quando iaciuntur: nonne enim coronę causa possent statim recipi? Non id prorsus potest dici de liquoribus sparsis.

De

De melle, vnguento, oleo coniecto in ignem: An sint pars sacrificij? Cap. XVI

A Sacrificio, quod fit Heroibus non abest mel, aut melle, si aliter loqui lubet, non carent funera Heroum. Statius:

Pallentiq; croco strident ardentia mella.

Mel tamen abest ab exequijs, quæ describũtur à Virgilio, quia non adest ignis, in quem conijci possit. apud Nonnum hæc non omitte,

Imposuit verò mellis, & vnguenti amphoras.

vbi qu̧erere lubet, an ea, quæ inijciuntur igni dicantur esse sacrificium? quod videtur affirmandum. nam ignis est adminiculum peragendæ rei sacræ. boues mactati coniecti in ignem nonne pars sacrificij sunt, quo honorantur manes Herois?

Hæc quamuis sic proferantur, nescio tamen an sacrificium peragatur ab igne. Etenim etiam cadauer absumitur à flammis. quæ igitur conijciuntur in ignem videntur facere ad reddendum opulentum ignem, non ad sacrificandum. bobus fit res sacra, non tam quando comburuntur, quam quando mactantur. Etenim lex sacrorum fert, vt aliquid tantum ex mactatis animalibus absumarur igne. Vnde colligere est integros boues iniectos igni facere ad opulentiam ignis, non ad sacrificium.

Homerus addit melli oleum. inquit enim:

Imposuitq; mellis, & olei anphoras.

Quod

Quod magis ac magis ostendit hæc omnia non alia de causa adhibita esse, quam vt magni constaret ignis.

Possem verò non pauca de mellis vsu in sacris proferre, quæ exposita sunt à Porphyrio in luculenta explicatione Antri Nynpharum. Sed cum mel non sit hic pars sacrificij, de eo dicere supersedeo,

An barbarum sit factum Achillis, & Asterij occidentium iuuenes, et tradentium igni? Cap XVII.

NOnne barbariem sapit factum Achillis, occidentis duodecim filios Troianorum, eosq; conijciẽtis in ignem? barbarum quoq; in morem asseres se gessisse Asterium, qui mactauit bissex Indos, tradiditq; absumendos flammæ. Apud Virgilium, atq; Statium nihil eiusmodi reperitur. Tacitè scilicet damnarunt id, quod memoratum est ab Homero. sed Homeri narratio placuit Nonno, qui non alia de causa videtur scripsisse duodecim Indos mactatos fuisse ab Asterio, quam quia legerat ab Achille interfectos duodecim iuuenes Troianos.

Cum verò ciuilitas Romanorum abhorruerit à mactandis hominibus, rogoq; tradendis, viderint qui Virgilium defendunt, aiuntq; ideò Æneam occidisse Turnum, vt rem sacram faceret Pallãti. atqui barbarum est homines interficere ad placandos mortuos.

Quod si barbariem tribueremus græcis, barbarosq; fuisse

fuiſſe affirmemus, quem iam aſſeremus eſſe ciuilem, atque elegantem? Viderint Homeri defenſores.

Non videri Heroicis temporibus lata ad rogum pretioſa dona. expenduntur verba Statij. Cap XVIII.

AN in funere Heroum ferrentur dona ab amicis & beneuolis, inq; rogum conijcerentur, quęrere oportet; cum res non videatur omninò explorata. apud Homerum certè nihil à militibus, & græcis iacitur in flammas, aut apponitur cadaueri præter comas abſciſſas. Non mihi hic ſermo eſt de pecudibus, aut equis, aut canibus mactatis, ſed de donis, vtputa gemmis, veſtibus, odoribus, ſimilibuſq; de quibus ne verbum quidem profertur ab Homero. cum ergo perantiquus ſit Homerus, non ſolum Heroicis temporibus talia deerant funeribus, ſed & ea tempeſtate, qua ipſe viuebat, nil tale vſurpabant.

Nonnus ait, Aſterium Dictęum inieciſſe mellis & vnguenti amphoras. Mactati quoq; ſunt duodecim Indi, & multi boues, more prorſus Homerico.

Statius autem inſtitutum ſuorum temporum viſus eſt tribuere temporibus Thebani belli, dum ſcribit:

Portant inferias, arſuraq; fercula primi
Græcorum, tituliſq; pios teſtantur honores
gentis quiſq; ſuæ.

Quæ ſunt hæc fercula? quæ poſtea deſcribit, appellatq; argentum, gemmas, aurum, & huiuſmodi. An

verò gemmæ, aurum, argentumq; vocentur rectè fercula, viderint Critici.

In Silio nihil desiderare possumus: iam enim videtur tunc inualuisse mos ferendi dona ad rogum illustrium virorum. Ergò rectè cecinit.

omnis Iber, omnis Latio sub nomine miles
dona ferunt, tumulisq; super flagrantibus addunt.

De vento diuinitus misso ad comburendum cadauer. Boreas, Zephirus, Eurus memorantur ab Homero, et Nonno. Cap. XIX.

POëtarum proprium est frequenter ad deos confugere. Ita dum accendendus est ignis, quo comburatur cadauer Herois, diuinitus concitatur, & immittitur ventus.

Apud Homerum Achilles rogat, vt Boreas, & Zephyrus veniant, & citissimè comburant cadauer. Iris internuncia eos aduocat. aduolant. totam per noctem ignem inflammant. oriente die reuertuntur illuc, vnde venerant.

Rogum accensum fuisse ab Euro, qui tota nocte spirauerat, recenset Nonnus. Etsi apud ipsum ex lapide videatur excussus fuisse ignis, impositusq; rogo, sed opus nihilominus fuit Euri ope; quidni? Tam multa scilicet corpora comburenda erant, vt non videretur esse satis ignem subijcere.

In Statio in funere Archemori nihil reperitur de vento, tantum inquit:

Iam face subiecta

Virgilius sic loquitur: 9. æn.

Constituêre pyras. huc corpora quisq; suorum
More tulêre patrum, subiectisq; ignibus atris
Conditur in tenebras alta caligine templum.

Vides opera hominum subiectum fuisse ignem pyris, remota machina poëtica.

Id verò omitti non debet, quod euenit in funere Syllæ: *Sub solis ortum cum nubilus esset dies, & cœlestes expectarentur aquæ, hora vix non a cadauer extulerunt: clari deinde flatus exoriente procella, quæ rogum multas exsuscitaret in flammas. ante pluuias elatum est corpus. Tabescente iam rogo, & sopitis ignibus, multus effusus est imber ad noctem vsq; perdurans.* Poëtica quis hæc diceret, nisi narrata fuissent ab historico. Plut. in syll.

Non esse certum in funere Heroum adhibitam fuisse decursionem. Cap *XX.*

AN in funere Heroum decursum sit ab exercitu, virisq, militaribus, quærendum est. affirmabit quisquis ante oculos sibi ponit verba Statij, & Virgilij dum describit iusta, quæ soluta sunt ijs, qui mortui sunt in pugna contra Rutulos, Turnumque. Certè non id institutum descripsissent, si non fuisset moris, sic honorare funera Heroum antiquissimis illis temporibus.

Non tamen videtur sufficere hoc testimoniom licet geminum. Etenim solent Epici Poëtæ mores suæ ętatis, suiq; sæculi in antiquissimis temporibus narrare, vt ipsis concilient reuerentiam, atq; splendorem. id possit quis pronunciare de Virgilio, deq; Statío, quando decursionis antiquitas indagatur.

Cum præsertim nec Homerus, nec Nonnus eiusmodi institutum memorauerint. Certè errat quisquis Homero decursionem funebrem imputat, cum nusquam in funere Patrocli appareat.

lib. 25. Adde verisimile esse à Pœnis inuentam, cum Liuius eius mentionem faciat quando Annibal construit rogum Graccho. nam quis credat Pœnos accepisse morem à Græcis?

Etsi autem apud Romanos primum vestigium decursionis inueniatur in funere Augusti, oportet tamen iam antea fuisse vsitatam siue apud Romanos, siue apud alios, cum Virgilius eam descripserit, antequam Augustus moreretur.

Agere quoq; cogimur de decursione in funere Heroum, quandoquidem Poëtæ duo eam non omiserant, quando agebant de tali materia, etsi fortè morē aliunde, & ex subsecutis temporibus illuc transtulerint.

Decursionem funebrem non reperiri apud Homerum. male decursionem eiusmodi confundi cum ludo Circensi Cap. xxi.

DEcursio in funere Heroum, quæq; fit circa rogum accensum, nequaquam confundenda est cum certamine Aurigarũ, qui egregijs instructi equis agunt currum circa metam præmij acquirendi causa. Ergò si quæras, an apud Homerum in funere Patrocli appareat decursio circa rogum, negandum est, cum nihil eiusmodi ibi legatur. etsi postea narret Poëta certasse curuli ludo Græcos, accepisseq; munera ab Achille. quantum enim est discrimen inter decursionem funebrem, & ludum circensem, atque curulem? in illo nulla est meta, nullum præmium, nullus currus, decurrunt equites, & quidem ter, si credimus Virgilio. in hoc, scilicet Circensi ludo, non est rogus, absumpto iam cadauere, collectisque reliquijs, & sepulchro impositis, nulli sunt equites, sed auriga dirigit quadriuges currus, vbi sunt iuncti quatuor equi. plura referre non attinet. ita reijcienda venit opinio viri eruditi, qui cum de decursione funerea ageret, putauit eam reperiri apud Homerum in funere Patrocli.

Decursionem equestrem nequaquam cum Troiæ ludo esse confundendam. indicatur vtriusq; discrimen. Virgilium esse cautè legendum. Cap. XXII.

DEcursionem militarem in exequijs Anchisę videbatur omisisse Virgilius, sed ne negligentiæ accusaretur post multa certamina, quibus proposita erant præmia, subijcit decursionem non quidem eam omninò, quę in vsu erat in funere Herouin, sed non omninò absimilem. Etenim cum sciret Romæ Troiæ ludum esse valde notum, inde ab antiquissimis Albanis repetitum, eum voluit describere, quasi editum in honorem Anchisę. perpendendum autem est discrimen inter Troiæ ludum, & decursionem in funere. nam Troiæ ludus edebatur à iuuenibus, pueris, & adolescentibus, & quidem frequentibus tam peditibus, quam equitibus. eiusque vsus extra funus erat, vt patet ex Suetonio in Cæsare, in Augusto, & Nerone.

Decursio autem fiebat à viris, & quidem militaribus, legionarijsq. inq. funere, quando rogus comburebatur. Virgilius porro, vt antiquitatem ludi Troiæ ostẽderet, arripuit occasionem exequiarum, quas soluebat Patri Æneas, remq. ita inuoluit & implicuit, vt quasi decursionem funebrem describens, representarit lusũ Troię puerilem. Ideo ait.

Hunc morem, hos cursus, atq; hæc certamina primus

Asca-

Ascanius, longam muris cum cingeret vrbem,
Rettulit, & priscos docuit celebrare Latinos.
vbi facile animaduertis ludum Troię non esse funebrẽ, sed cum lætitia conuinctum quandoquidem eum edidit Ascanius cum conderet Albam, non solueret inferias cuiquã. viros verò, non pueros, solitos decurrere in funere Heroum, & Cæsarum docent omnia illa, quæ leguntur apud Statium, ipsumq. Virgilium describentem funus Latinorũ, apud Dionem, Herodianum. At ludus Troię ne quidem intelligi potest absq. adolescentibus. Virgilius:

Paruus Atys, pueroq; puer dilectus Iulo.

Paulò ante scribit de *impube Iulo*. sub finem addit.

Troiaq; nunc pueri, Troianum dicitur agmen.

Caue ergò quicumq. legis Virgilium, putes Troiæ ludũ, & decursionem funebrem esse eadem, nam valde differunt. facile verò ea confuderis, nisi artificium, & prudentiam Virgilij ob oculos tibi ponas.

Cur, inquis, hæc non sunt exposita à Seruio, aut alijs, qui commentarijs onerarunt poetam? Ego aliorum facta non præsto nec tamen assero mihi omnia visa fuisse, quæ exarata in Virgilium prostant. nam cui tantum est otij, vt quicquid quotidie prodit, inspiciat?

Adminiculo porrò meæ obseruationis facilè dissipabis obiectionem. nam quis posset argutari, & dicere decursionem funebrem esse profectam à Troianis, quãdoquidẽ id videtur affirmare Virgilius. atqui Virgilius Troię ludum profectum fuisse ab Ænea affirmat, non decursionem equestrem.

Poe-

Poëtas non videri dixiſſe decurriſſe pedites in funere Heroum. reijcitur quædam interpretatio Placiadis. Cap. *XXIII.*

AN in funere Heroum dixerunt Poëtę Epici decurriſſe pedites, ſcire ſi quis cupiat vix illi aliquid exploratum reponere potero.

Virgilius quando Iuſta ſoluta ijs, qui mortui ſunt in pugna contra Rutulos, deſcribit, equitum quidem decurrentium meminit, an vero decurrerint pedites non diſertè pronuntiat.

Ter circum accenſos, cincti fulgentibus armis
Decurrêre rogos, ter mœſtum funeris ignem
Luſtrauêre in equis.

Prima verba de decurrentibus in armis intelligi poſſunt de peditibus, ſed poſſunt etiam transferri ad equites.

Statij verſus ſunt:

Tunc ſeptem numero turmas (centenus vbique
Surgit eques) verſis ducunt inſignibus ipſi
Graiugenæ reges.

in verbis illis: *ſurgit eques* putat ſcholiaſtes fieri mentionem peditum, *id eſt*, inquit, *ex equis ſedentes reuerſis peditibus.* quaſi prius pedites decurrerint, ſubſequentibus mox equitibus ſed Statius nuſquam profectò peditum meminit. Etenim turma tantum de equitibus dicitur, vt conſtat ex Vegetio. id ſingulare eſt, quod ait centũ

lib. 2. cap. 14.

equi-

equitem vbiq; ſurgentẽ, id eſt vnamquamq; turmam conſtare ex centum equitibus, cum tamen idem Vegetius doceat more Romano conſtare tantum ex triginta duobus. Verum honori Regum hoc videtur datum, vt auctus fuerit numerus equitum vniuſcuiuſque turmæ. Nec enim videbatur conuenire dignitati regiæ præeſſe tantum triginta duobus equitibus. valde autem audacter, impropriè, & obſcurè mihi videtur locutus Statius, dum dixit *ſurgere* eum, qui conſcendit equum, & in equo incedit. forte melius dixiſſet: *ſplendet eques.* illud accedat ad oſtendendum non videri diſertè dixiſſe Poëtas in funere Heroum decurriſſe pedites, nam decurſio puerorum in exequijs Anchiſæ planè equeſtris eſt, vt nemo non videt apud Virgilium.

ibid.

In decurſione quoties iretur circum? ternæ illiſioni telorum reſpondiſſe quater fragorem apud Statium. cur id ominoſum? Cap. XXIV.

IN decurſione ſi quæras quoties circumirent in orbem, reſpondere eſt ex Virgilio, & Statio ter id peractum. *Ter circum*

Decurrere rogos.

Ter curuos egêre ſinus.

Quoties iuerint in orbem Herodianus, & Dio non memorant. iuuat autem narrationem Statij & Virgilij mos ſacrorum, vbi omnia ter ſolent fieri, quod tradidit etiam Ariſtoteles, ne alia referam.

Si cui tamen non placeret hæc ſententia, poſſet di-

cere, dixisse Poëtas ter ob morem sacrum, non quod ter tantum decurrerent. nec enim necesse est quicquid fit in sacris, semper fieri tantum ter.

Postquam autem retulit Statius ter equites circumisse, ait:

---- quater horrendum pepulêre fragorem
Arma, quater mollem famularum brachia planctum.

Hoc ominosum fuit, & inauspicatum, nam si ternarius numerus faustus est, quaternarium oportet esse infaustum. Certè pessimus omnium numerorum est binus; quaternarius autem constat ex duobus geminis, quicquid sit de quaternario Pyrhagorico. quis porrò non timuisset, vt rem ominosam, si ter tantum sunt collisa tela, & tamen arma quater dederunt fragorem? hoc profectò non potuit nisi diuinitus fieri. cum præsertim famulæ quater planxerint pectus. nam pellere fragorem arma, & brachia planctum, audaci stylo Statij dicuntur, quando edunt, mittuntq; planctum, atq; fragorem.

De vini magna copia coniecta ad extinguendum ignem in funere Herois. Cap. XXV.

QVia præstantissimus est liquor, ad extinguendum ignem, quo comburitur corpus Herois apud Poetas, tantum vini infunditur, vt sopiatur prorsus vis ignea. En tibi Nonni in funere Opheltæ:

------ impetum omnes faciebant, alterno verò poculo
Rogum socij extinxerunt liquore Bacchi.

Apud Silium, & Virgilium nihil ea de re, cum ibi non

com-

combureretur corpus. At Homerus, quem ſecutus eſt Nonnus, diſertè:

Primum quidem rogum extinxerunt nigro vinò
Quantum flamma penetrauerat.

Statius nequaquam ſatisfacit expectationi. Tantum ait: ---- *multoque ſoporant imbre rogum.*

Forte, vt audax valde eſt, nomine imbris intelligit magnam copiam, quæ potuerit prorſus ignis vim perimere. ſed obſcura eſt locutio. Certè cum reliqui Poetę, nonniſi vino dicant ignem extinctum, peccaſſet Statius, ſi ad aquam confugiſſet. Rurſus, ſi nomine imbris cupiat ſignificare vinum, improprium in ſermonem ſe induit. quod ipſius peccatum eſt valde frequens, vt mirũ non ſit, ſi à ſeipſo non diſcedit.

De alio igne apud Statium præter funereum. de libamine armorum coniecto in ignem, duplex ſententia. Cap. XXVJ.

APud Statium præter ignem, qui comburebat Archemori cadauer, excitatus eſt & alius, vt amoueretur malum omen, quod ſumptum erat ex funere. quis enim non videt inauſpicatum iter fuiſſe eius exercitus, qui coactus eſt interficere ſerpentem, & puero regio interfecto à ſerpente ſoluere iuſta? Vatis igitur monitu procuratum eſt hoc prodigium, malumque omen, cæſis pecudibus, curſu equitum in dextrum gyrũ,

 &ia-

& iacto libamine ab armis in ignem . audiamus Statiũ:

Semianimes alter pecudes, ſpirantiaq; ignis
Accipit armenta.

Vides alterum ignem. de libamine autem ſic ſtatuendum, vt dicamus videri fieri rem ſacram, quando ex armis aliquid proijcitur in ignem ad placandum Numẽ. vſus autem eſt Statius nomine libaminis duplici de cauſa. tum quia quod offertur Dijs, dicitur libari, tum quia libamen eſt pars exigua decerpta ex re maiori. libârunt arma equites, quia cingula, fręna, iacula, criſtas igni tradiderunt. quis porrò neſcit inter arma exiguam, & extremam partem eſſe cingulum, & ſimilia?

Sed caue putes, quod tamen ego olim ſentiebam, fręna, cingula, & alia coniecta in ignem, quaſi munera oblata Archemoro. Etſi enim ſciamus milites ſolitos in funere Cæſarum, & Heroum arma conijcere in rogum, hoc tamen non eſt transferendum ad hanc narrationem Statij, cum non agatur de igne comburente Archemori corpus.

Adde ideò coniectum libamen armorum in flammas, vt expiarentur, cum polluta eſſe poſſent cenſeri ob cædem ſerpentis, qui videbatur eſſe ſacer alicui Numini, quod rectè eſt obſeruatum à ſcholiaſte.

Etſi verò eiuſmodi ſacrificio voluerit Vates depellere id, quod à prodigio funeris ſignificatum fuerat, fruſtrà tamen fuit. ideò ait ſcholiaſtes nouiſſe *calamitatem eſſe immutabilem.*

Hinc intelligimus quandoque calamitatem eſſe immutabilem, vt fruſtrà adhibeantur preces, & ſacrificia,

cia, neq; depelli possit, quod nobis diuinitus imminet.

Cur ergò, inquies, adhibentur? quia antequam adhibeantur, nobis non est exploratum calamitatem esse immutabilem. nec sile, adminiculo precum posse saltem minui calamitatem, etsi non omninò depellatur.

De celeritate, qua Archemoro, et Opheltæ paratum est ingens sepulchrum.
Cap. XXVIJ.

AD magnificentiam quæ faciunt, summa debent peragi celeritate. quod obseruatum ab interpretibus Martialis, quando agitur de Thermis à Tito constructis. sic videmus Archemoro paratum magnificum sepulcrum celeriter, illiq; nonnulla memoriæ posterorum mandanda incisa. Statius:

Mirum opus accelerante manu. stat saxea moles,
Templum ingens cineri.

Apud Nonnum quoq; sepulto Ophelte, statim *epitaphium celsioribus constituerunt lapidibus*. hęc depromere lubuit de celeritate, qua statim absolutum est sepulcrũ.

Sepul-

Sepulchra Heroum rotunda. cur? non absq; elatis lapidibus, quibus aliquid aut incisum, aut inscriptum. Cap. xxviij.

ABsq; substructionibus simplex sepulcrum fecit Patroclo Achilles. nam Homero canente inquit ipse:

Sepulcrum autem non adeò magnum ego fieri iussi
Sed mediocre tale, postmodum autem & hoc Achiui
Latumq; altumq; facite.

Quia ipse parabat ludos, nequaquam poterat multum temporis sepulchro construendo impendi: vides tamen Heroicis temporibus in vsu fuisse lata, & alta sepulcra, quæ proinde coniuncta erant cum substructionibus.

Sepulchrum, vt apparet, rotundum fuit, nam torno id designarunt, vt est apud Homerum. quod etiam confirmatur ex Nonno, vbi de Opheltę sepulchro hæc habet:

Tymbam rotundam fecerunt.

Cum enim corpus esset combustum, & reliquiæ linteo inuoluerentur; non opus erat oblonga forma effodere terram, vt hodie apud nos fit, cum corpus sepeliamus integrum.

Sed apud Statium nouem dierum labore lapideum sepulchrum constructum est.

Mirum opus, accelerante manu, stat saxea moles.
Templum ingens cineri.

Tem-

Templum hîc non eſt templum, in quo colitur deus, ſed excelſa moles; quicquid enim excelſum erat & ſublime, templum appellabatur ab antiquis. huius vocabuli ſignificatum petere licet ex Nonno, qui ait.

Et epitaphium celſioribus conſtituerunt lapidibus.

celſiores lapides ſunt ſaxea moles, & templum cineri.

Obſerua porrò morem effingendi nonnulla in monumento lapideo, memoriæ cauſa. Statius:

---- rerumq; effictus in illo
Ordo docet cauſas.

Sed apud Nonnum tantum inſcribitur nomen Opheltę:

Mortuus Areſtorides breuis æui iacet hîc
Cnoſſius, Indos occidens Bacchi comes Opheltes!

Noli mirari in ſepulchro Patrocli nihil inſcribi, nihil incidi, nam Achilles monuit latum, & ſublime parandum ipſi poſtea ſepulchrum.

De Heroica præstantia

IVL. CÆSARIS SCALIGERI,

Diatriba, in qua quatuor quæruntur,

An Scaliger ediderit de vita sua Epistolam?
An si eam edidisset, foret culpandus?
An Scaliger inter Senatorij ordinis homines sit recensendus, an Heros censendus?
An et quatenus cum Masinissa & Xenophonte comparari queat?

Extitit paucis abhinc annis scriptor haud ignotus, qui non dubitauit Iulium Cæsarem Scaligerum reprehendere, grauibusq; traducere verbis, quod exarâsset, edidissetq; Epistolam, in qua non solum seipsum componit cum Masinissa, atq; Xenophonte, verum etiam eò progreditur, vt asserat vix vtrumque commixtum sibi posse æquari. vt verò videatur non absq; ratione tantum virum iactantiæ, vanitatis, & ambitionis postulare, asserit nulli licere de suis actis, deque sua vita conscribere epistolas, libellos, narrationes, exceptis fatidicis sacrisq; Viris. addit Senatorij ordinis in Republica literaria fuisse Scaligerum, sed nequaquam eò pertigisse præstantiæ, vt Masinissæ, aut Xenophonti, vel etiam vtriq; coniuncto exæquari possit. quid enim gessit Scaliger, vt cum tantis hominibus ingens, & non inferius reportet elogium? hæc ferè accusationis compendiaria, de qua vt strictim agam, neq; indefensum patiar abire summum hominem, age quæramus.

j An Scaliger de vita sua ediderit Epistolam?

ij An si eam edidisset, foret culpandus?

iij An Scaliger inter Senatorij ordinis homines, quando agitur de proceribus Reipublicæ literariæ, sit recensendus, an verò supra, & extra talem ordinem collocandus?

jv Et vltimò, An & quatenus cum Masinissa, & Xenophonte comparari queat?

De primo lemmate vt agam, mendacij notam in sua

dicta

dicta traheret, quisquis affirmare non verecundaretur editam euulgatamq; à Iulio Cæsare Scaligero de seipso Epistolam. an enim quicquid exaratur inq; scrinijs reponitur, edi censetur? hodie profectò nos, qui habemus artem typographicam dicimur aliquid edere, quando typis excudendum tradimus, vt volitet per ora virum. appello etiam vestram scientiam Iurisconsulti, apud quos edi dicuntur instrumenta, & rationes, quando in acta referuntur, & Iudici cognoscendæ traduntur, vt docetur ab interpretibus. importunitas, & intempestiuitas historiographi Regij eximio homini extorsit dictatum hoc. quam multa scribimus ad amicos, quę nolumus vnquam emitti in luminis auras, aut cum quoquam communicari? si dicat accusator sciuisse Scaligerum ab historico euulgandum Epistolium, atque adeò voluisse per ipsum toto cum orbe commune fieri, respondere licebit, nequaquã eo animo transmissam Epistolam, sed vt ipsa pro lubitu vteretur, exq; ea quod visum foret, acciperet, litterisque mandaret. Rursus inquiet: si euulgata non est, qua ratione ad nostras peruenit manus? Huic interrogationi facile est occurrere. nam beneficio I. Lipsij, viri sapientis, qui vnicè admirabatur Scaligerum, in manibus studiosorum versatur, inserta libro epistolarum ipsius. absq; eo si fuisset, tanto thesauro cogeremur carere. sed propero ad alterum huius Diatribæ caput. An enim culpandus foret, si de seipso exarâsset, exaratamq; in publicam lucem emisisset Epistolam? ò seuerum, rigidumq; acusatorem. Itane censorium ad iudicium trahitur Scaliger, quia de

ff. de edendo l. 1. §. 1.

actis suis dictauit epistolium? Audeo pronunciare plerosq; omnes, qui libris editis inclaruerunt, aliquid ipsis de se inseruisse. percurre, Accusator, memoria clarissimorum virorũ monumenta, & deprehendes me veritati litâsse, quando sic effatus sum, ne ad solos diuinos fatidicosq; te recipias homines. Vitam Galeni qui conflárunt, eam vndiq; ex scriptis, quæ extant, comportárunt. de Hippocrate qui egerunt, litteris, quas scripsit, vsi sunt. Commentarij de Gallico ciuiliq; bello à Iulio Cæsare Dictatore compositi, quid aliud sunt, quã summi Ducis, & Imperatoris res gestæ? euolue Antiquorum Patrum Ecclesię Epistolas, atq. etiam alia opuscula, passim ab ipsis de se non pauca chartis commissa deprehendes. quid memorem Epistolas, quas quotannis patres societatis Præposito Generali mittunt? complectuntur ea, quæ in nouo Orbe pro conuersione Gentium moliuntur. inspexisti puto, imò legisti vitam Iacobi Augusti Thuani, à quo quæso congestam? ab illo ipso patre historiarum nostri temporis. oculos etiam flexisti ad verba Taciti, & Plinij Iunioris quadratis litteris præmissa operi. illa tuam audaciam, qui potuisti inclementer de Scaligero loqui, disertissima sententia damnant. sed prolixum sermonem instituerem, si per singula ire in hoc argumento vellem. sile igitur, & nequaquam amplius in talia verba erumpe, quibus culpas omnes eos, qui cum Vates, & diuini non forent, aliquid de se scripserunt.

Expediui secundam dissertationis partem, tertiam nunc me vocat, in qua aio tenuiter nimium sentire te

de

de præſtantia Scaligeri, quando ipſum non pateris eſſe niſi Senatorij ordinis procerem in Senatu literario. Imò pluſquam Senator cenſendus, interq; Heroas recenſendus. hoc iudicium eſt Iuſti Lipſij, viri extra omnem controuerſiæ aleam ponendus. is ſupra reliquos proceres ſapientia, & literis claros admiratur Homerum, Hippocratem, & Ariſtotelem, quibus quartum addit Scaligerum. ſic à Lipſio præfertur Scaliger omnibus noſtris imò plurimis Antiquorum, cum comes adiungatur tribus admirandis hominibus. I nunc accuſator, & Lipſio quoq; dicam ſcribe; quandoquidem tantum Scaligero tribuit. ita cenſeberis omnes modeſtiæ trāſilire limites. Dantur, ſi neſcis, etiam in re literaria, inq; doctrinarum tractatione Heroes, inter quos qui renuit numerare Scaligerum, meretur profectò ipſe ex conſeſſu Doctorum hominum eijci, vt inter maledicos ſtabuletur. ſed ſcire cupis, quid prẹſtiterit Scaliger, vt extra ordinem magnus dicatur fuiſſe, neq; incedat cum turba literatorum, cumq; Senatoribus, inter quos non pauci pedarij. dicam, rem ipſam clamare à Scaligero aliquid ſupra communem humanæ prẹſtantiæ ordinem præſtitum. nam quem mihi dabis, qui Orator ſic fuerit ſoluta oratione diſertus, vt optimos plurimoſq; conſcripſerit verſus, & poëmata opere doctiſſimo perfectoq; condere docuerit, imò quid poſſit in magnis etiam poetis deſiderari, plurimis argumentis euicerit? in Scaligero tamen hæc videmus, & quia non inuidemus eius gloriæ, ſuſpicimus. quis feram ætatem, poſt iuuentutem tributam Militiæ, ſic appulit ad diſciplinas, vt incredibili

cele-

celeritate intra paucos annos pertigerit? Neminem præter Scaligerum nouimus, de quo id pronunciare verè possimus. Da iā mihi inter Grammaticos (nā Grammaticorum nouimus, quam fuerit olim nomē honorificum) qui tanto cum ordine, tam subtiliter de causis linguæ latinæ disseruerit? Nullum ostendes, in nullum digitum intendes, Scaligerum si seponas. ne dicam de libris Originum, qui maximo cum damno Reipublicę literariæ perierunt. quod detrimentum hodieque frequenter deplorant humanarum literarum Professores. Nunc dicenda est robusta Philosophia, imò canenda transnaturalis sapientia, quæ Metaphisicorum fert nomen, in qua de Subtilitate tam multa prodidit Scaliger, vt qui opus diuinum in manum sumūt, hęreant attoniti, quærantq; fieri ne potuerit, vt mortali semine cretus talia mandauerit papyro? tu tamen cæcus in meridie intra promiscuam cateruam Senatorum compellere satagis Scaligerū. ponamus nobis deinceps ob oculos rerum naturalium, imò totius historiæ, quæ Naturam enarrat, cognitionem, in qua ita excelluit Scaliger, vt ipsū prorsus nihil latuisse videatur. inspiciātur quęso illi ipsi paulo antea à nobis laudati de subtilitate libri. quā multa ibi reperire est de animalibus, de Metallis, fossilibus, gemmis, alijs non solum ex antiquis exposita, verum etiam ex ijs, quæ Nouus Orbis propriaq; experientia suggessit, solertissimè indagata, enarrata. non omittantur, quæ dictauit in Aristotelem, in Theophrastū de plantis. non sileatur in Hippocratis librum de Insomnijs accuratissimus commentarius. Nam & Medi-

cinam

cinam nouit, atq; etiam fecit Scaliger. adeò ad omnia à natura factum habebat ingeniū, vt propterea vir doctiſſimus Gallus, cum nonnulla aduerſus ipſum ederet, Heroem tamen appellauerit, & appellandum ab omnibus exiſtimauerit.

Ne nimium moræ traham in re clara, clamat ratio, iubetq; de nouiſſima particula, quā Diatriba pollicetur, loqui. Si vniuerſam Encyclopædiam contempleris, quę in Scaligero eluxit, quidni præferas Xenophonti, & Maſiniſſæ Scaligerum? doctus & eruditus an fuerit Maſiniſſa indagare nihil attinet. Certè in eo genere nihil excelſum videtur prætuliſſe. Xenophon eloquens fuit Socratis diſcipulus, philoſophię, quæ de moribus agit, peritus. hinc fateri nos neceſſe eſt, multis paraſangis à Scaligero poſt ſe relinqui Xenophontem. ſed obijcis, Regium genus in Maſiniſſa, & res geſtas in bello, nec ſiles Xenophontis militarem præſtantiam, qua videtur Scaliger deſtitutus fuiſſe. his repono Scaligeri genus, ſiquidem è Principibus Veronæ natus eſt, nequaquam infra fulgorem Maſiniſſæ. infelix fateor fuit Scaliger, excluſus è ditione auita, quæſitus ad mortem ab equitatu Venetorum, cum naſceretur. felix contra Maſiniſſa, qui ſecutus amicitiam populi Romani paternas opes auxit. ſed pręſtantiam nequaquam metiri nos par eſt felicitate, quæ ſæpe ignaros, ignobiles comitatur, ab excelſis ingenijs procul remouet greſſum. An vero negas militem fuiſſe Scaligerum? Certè qui ſuperiora Italię tempora norunt, manu promptiſſimū, ad pugnas, etiam ſingulares, aptiſſimum norunt Scaligerum,

ligerum, qui etiam ductor Equitum pugnæ Rauennati, qu nulla decantatior est, interfuit. Meliorem profectò vitæ partem, hoc est adolescentiam, & robur virile impendit armis. cum verò admirabiles progressus in doctrinis citò fecerit, quid ni etiam existimabitur fuisse rei militaris peritissimus? Ita intelligimus mereaturne componi cum Masinissa, cumq; Xenophonte Scaliger, aut etiam cum vtroq; commixto. cum enim doctrina supra ipsos longè collocatus fuerit, militia autem infra neutrum hæserit, cum genus duxerit à præpotentibus Veronæ principibus, cũ admirabili prorsus ingenij celeritate, corporis autem singulari vigore præditus fuerit, cum fama sui nominis totum orbem impleuerit, maior extiterit, quam ferret seculum, in quod incidit, cum hodieq; à viris sapientibus tamquam Idea perfecti viri suspiciatur, intrepidè ipsum Masinissæ, Xenophonti, siue seorsim, siue simul sumptis posse præferri arbitramur.

DE FVNERE CÆSAREO

EXERCITATIO,

Quæ Christiana etiam tempora aliquatenus explicat.

PRÆFATIO
ad Lectorem.

ETsi omnia videantur vulgata de Antiquitatibus Romanis, fas tamen esse aliquas spicas colligere. exponenda etiam tempora Christianorum Imperatorum. Reprehenduntur, qui solo Baronio contenti, scriptores antiquos Christianos numquam inspiciunt. ad solidam doctrinam debere transferri Eruditionem.

NTIQVITATES Romanas ingens numerus eruditorum hominum hoc seculo doctissimis lucubrationibus cum enarrauerit, & è nocte ereptas clarissima donauerit luce; actum profectò videtur agere, & crambe repetita Magistros occidere, quicumq; amplius in eo genere scriptionis sudare iubet suam diligentiam. Immensa tamen cum sit messis, vindemia immensa, nihil vetat, dum diligenter omnia inquiruntur apud scriptores antiquos, & oculi curiosi vndiq; circunferuntur aliquas spicas, & racemos nonnullos ab alijs prę̨teritos atq; neglectos deprehendere, inq; suum transferre horreum, atq; cum studiosis communicare. illud porrò in tractatione Antiquitatum Romanarum est animaduertendum, inq; animum seriò dimittendum

tendum, vt non hæreamus ſemper in ijs, quę in orbe contigerunt Romano, cum vetuſtus tantum obtineret plurium Deorum cultus; ſed transferenda eſt opera ad cognoſcenda, explorandaq; tempora Imperatorũ, Antiſtitum Catholicorum. Sic fiet, vt de ijs, quæ immortali cum laude propinauit vir Magnus, Cæſar Baronius loqui poſſimus accuratè, ſolidoq. nixi fundamento, etiam, ſed modeſtè, ſed ſumma cum reuerentia erga tantum hominem, iudicium facere. Nunc videmus pleroſq; Antiſtites, quos decet Vetuſtatis Chriſtianę eſſe peritos, vnũ nomẽ Baronij vſurpare, de rebus in Eccleſia Catholica geſtis, quando ſermo inſtituitur. Non illi Euſebiũ, non Sozomenũ, non Theodoretum, non Nicephorũ cæteroſq. Hiſtoricos Chriſtianos in manus sũpſerunt, aut ſaltẽ obiter legendo peruaſerunt. Acta Cõciliorum Oecumenicorum, quæ tamen ſua auctoritate Summus Pontifex PAVLVS QVINTVS iuſſit accuratiſſima diligentia recẽſita excudi, à limine nunquam ſalutarunt. Antiquorum Patrum opera in ipſorum Bibliotheca videre non licet, ſed præter Baronij Annales, Sayros, Azorios, Suarios, Filiucios, Dianas, Laymannos, & alios huiuſmodi. Non abſunt multi tomi Deciſionum, præſertim Romanæ Rotæ cum Praxibus aliquot Archiepiſcopalibus, & Farinacij ingentibus libris. Baſilios autem, Gregorios, Tertullianos, Chryſoſtomos, cęteroſq. nuſquam conſpicere eſt. Huiuſmodi hominum me hercle non poteſt non pudere. imò eſt quod noſtri ſeculi pudeat, quod adeò Antiquitates Eccleſiaſticas negligit, & transmittit. Vt verò

ad rem, cuius gratia hanc præfationem ſcripſi, accedam, ego inter alias valde multas exercitationes exarani & hanc, quam exhibeo, de Funere Cæſareo, quæ forte tibi non prorſus protrita videbitur, cum præſertim nonnulla de Chriſtianis quoq. Imperatoribus exponat, aliquid doctrinę cum Eruditione coniungens. Danda namq. nobis opera, vt & hoc addam beneuole lector, ne eruditio ſit mera hiſtoria, meraq. enarratio antiquorum rituum. quin transferenda eſt ad illuſtranda præcepta politica, Theologica, imò etiam philoſophica, atq. iuridica. exiguum cæteroqui habituræ ſunt antiquariæ ſcriptiones fructum, paruum, & prope nullum allaturæ emolumentum. Tu noſtris qualibuſcumq. fruere, & maiora indies paranti, faue.

De Feretro, ſiuè lecto, in quo cadauer Imperatorum effertur. an alij lecti adhibiti?

Cap. I.

NON ſimplici ſandapila, & lectica effertur Imperator, ſed lecto in eam rem accuratè fabrefacto. Meminit lecti Cæſarei Suetonius: intra *auratam*. ędem *lectus eburneus, auro, ac purpura ſtratus*. & *ad caput trophæum cum veſte*. vides quam abeat a communi vſu hic lectus. is tamen combuſtus eſt, narrante eodem: *Lectum pro Roſtris detulerunt, quem duo repentè cereis ardentibus ſuccenderunt*. hæc Suetonius, qui in Auguſto nihil de lecto habet. prodeat ergo Dio: *Lectus erat ex auro, &*

in Cæſ. cap. 83.

ro, & ebore constructus, purpureis stragulis auroq; ijs intertextis ornatus.

An non verò cum hoc lecto & alij imaginarij delati sunt? probabile id est, cum in funere aliorum virorum sępe adhibiti fuisse legantur; ad augendam pompam. Virgilij verba præstò sunt. 6. æn.

---- vel quæ Tyberine videbis
Funera, cum tumulum præterlabere recente

vbi Seruius narrat ad funeris (Marcelli) honorem iussisse Augustum sexcentos lectos ire intra ciuitatem. Hoc autem apud maiores gloriosum erat, & dabatur pro qualitate fortunæ. nam Sylla sex millia habuit.

Potest etiam fieri, vt tales lecti in funere Augusti omissi fuerint, tamquam superflui, ne pompa nimis excresceret, cum præsertim narret Dio portatas fuisse imagines omnium illustrium virorum inde vsq; à Romulo, cum imagine omnium nationum, quas subiecerat populo Romano Pompeius Magnus.

Cum autem de feretro siue lecto Augusti agatur, quærendum an latus fuerit porta triumphali? affirmat Dio: *feretrum*, inquit, *sublatum triumphali porta ex Senatusconsulto extulerunt*. Suetonius id videtur negare. nam narrat primum quidem Senatum censuisse funus dicendum porta triumphali, postmodum adhibuisse honoribus modum. in Aug. ca. 100.

Verú si Suetonium attentè legamus, non dicemus repugnare Dioni, nam multa alia censebant nonnulli esse facienda, de quibus ipse Suetonius, quorum tamen partem prætererunt. inter illa, quæ omissa sunt, nequaquam

quam

quam re eras decretum de feretro ferendo per portam triumphalem, quandoquidem Dio testatur per eam portam illatum lectum Augusti.

Imagines illustrium virorum, non autem Deorum, aut Heroum in funere Cæsarum deferri consueuisse. Cap. II.

DE funere Cæsareo quando disputatio instituitur, præterire nefas est imagines, quæ deferebantur. qua de re Herodianus. *Currus item decenti similiter ornatu circumaguntur, insessi purpuratis rectoribus, qui personas ferant, quæ habent imagines ducum omnium Romanorum illustrium, Principumq;* allusit ad hunc morem Tacitus, de morte Germanici quando agit: *funus sine imaginibus & pompa, per laudes, & memoriæ eius celebre fuit.* nec prætermittendum, quod est apud Dionem, decretum fuisse à Senatu, *ne imago (*Augusti*) eius vllo in funere cuiusquam ferretur.* Quis non inde colligat imagines Ducum, Principumq; solitas deferri? rursus idem Dio: *ducebantur auorum Augusti, ac cognatorum vita functorum, aliorumq; Romanorum, qui vnquam quacumq; re primatum obtinuisset, imagines, initio à Romulo facto, inter quas etiam Pompeij Magni imago.*

lib. 4. *in Ann.* *lib. 56.* *lib. 59.*

Deferebantur imagines, vt maior esset pompa, tum etiam vt ostenderent Romani eum, cuius funus ducebatur, æmulatum fuisse virtutem illustrium hominum.

Non

Non deferebatur imago vllius Dei, aut Herois. Ea- propter retulimus decretum, quo vetuit Senatus, ne Augusti imago ferretur in vllo funere. certe in funere Augusti defuit imago Cæsaris. Cur ita? quia inter immortales relatus erat. En verba Dionis: *Excepta Iulij Cæsaris, qui inter Heroas relatus erat.*

Dices, hac ratione imaginem Romuli non debuisse deferri, cum tamen delatam scribat Dio. Ego puto Dionem non inclusisse Romulum, sed voluisse dicere omnium eorum, qui regnarunt & floruerunt post Romulum imagines delatas. sic equidem puto exponendum Dionem.

De imagine Imperatoris aurea, cerea. de eiusdem simulacro, ex qua materia id esset? Cap III

IMago Cæsarum prætereunda nequaquam est, cum eius meminerint Suetonius, Dio, Herodianus. Dio non vnam nobis memorat, sed tres, quando de Augusto agit, vna erat cerea, altera aurea. ex qua materia fuerit tertia, silet. forte cerea posita est in lecto, postquam Imperator est mortuus, vt vera sint, quæ refert Herodianus, dum ait Romanos consueuisse imaginem cerea defuncto quamsimillimam fingere, eamq; in Regię vestibulo proponere supra eburneum lectum, maximum, atq; sublimem. & quidem imago illa ad ægroti modum pallida recumbit. verisimile igitur est ceream imaginem Augusti decubuisse, postmodumque

lib. 4.

subla-

ſublatam, & delatam. niſi quis dicat, aut talem imaginem fictam non fuiſſe Auguſto, qualem deſcribit Herodianus, aut duas compoſitas ex cera, vnam quidem, quæ collocari poſſet in lecto, iuxta ea quæ Herodianus habet, alteram habitu triumphali conſpiciendam. nam cercam imaginẽ Auguſti Dio refert habitu triumphali fuiſſe, hancq; à Conſulibus deſignatis ex palatio fuiſſe delatam. qui ſubijcit imaginem auream ductam fuiſſe ex curia, tertiam in curru triumphali conſpectam.

Sed animaduertendum eſt, eamdem imaginem ceream & potuiſſe collocari in lecto, & habitu triumphali deferri. nam græca verba qui inſpicit apud Dionem, facile animaduertit cereę imagini inductum fuiſſe habitum, ſiue ſtolam triumphalem, ne quis putet habitum triumphalem ex cera quoq; fuiſſe.

Quibus narratis intelligimus ſimul imaginem, ſiue imagines imperatoris delatas fuiſſe in pompa, poſtque ipſas non omiſſas imagines illuſtrium virorum, quod præcedenti capite expoſui.

Cum imagine Cæſarea, de qua iam dixi, ſimilitudinẽ aliquam habet, quod refertur de Syllæ funere. nam ex odoribus iuſta magnitudine eius imago formata eſt; tãta copia aromatum tunc comportata fuit.

Plut. in ſyll.

Illud porrò ſilendũ non eſt ROMANOS Auguſti imaginẽ aureã feretro impoſitam collocaſſe, eiq. tribuiſſe omnia, quæ deinceps ſimulachro delubri eius erant exhibituri. vnde diſcimus ſimulachrum Auguſti collocatum eſſe in delubro, vt honoribus afficeretur diuinis. ex qua materia dicemus fuiſſe factum ſimulachrum? ex mar

Dio lib. 56.

more

more, aut ex ære. id colligere est ex Tacito, qui non putat *intercedendum imaginibus, quæ marmore aut ære finguntur*. Talia ferè omnia simulacra in templis; quo etiam Cæsarem coluerunt Romani. nam Suetonius inquit: *simulacro eius in vertice additur Stella*.

in vit. Agric.

in Cæs. cap. 88.

Nescio an de tali simulacro accipienda sint verba Eusebij de Constantini funere quando agit: Constantinopolitani *ad opera progressi anathematibus imaginis mortuum perinde, atq; viuentem honorarunt*. hæc Eusebius de Constantino, quem tamquam Sanctum Græci venerantur hodieq;

lib. 4. de vit. Const.

Nænia, pæan, hymnus in funere Cæsarum. à quibus canerentur? de hellenistarum lingua.

Cap. IV.

NÆnia, lugubre carmen in funere Cæsarum canitur. Suetonius: *funus ducendum canentibus næniam Principum liberis vtriusq; sexus*. dices, id non adimpletum, etsi visi sint ab initio sic censuisse Romani. respondere fas est, næniam decantatam, etsi id Suetonius non narrauerit. historici namq; non est recensere ea, quæ moris esse quisque nouit. Næniam porrò solitam cani, quando funerabantur Cæsares, testatur Herodianus toties laudatus: *puerorum chorus è nobilissimis atq; patritijs, fœminarum illustrium hymnos in defunctum pæanasq; canentium, verendo, ac lamentabili carmine emodulatos*.

in Aug. ca. 100.

Ne verò te decipiat Suetonius, noueris defuncto Augusto statuisse Senatum multa prorsus insolita peragenda, quibus honoraretur memoria ipsius, quorum tamen quædam, vt nimia, reiecta sunt. Non ideò dices hoc reiectum, ne canerentur hymni à pueris, & fœminis, cum Herodianus id in funere Cæsareo passim obseruari consueuisse clarè testetur.

Præter hymnos, & pæanas à nobilissimis pueris, illustribusq; fœminis decantatos est audire alia, dum celebrãtur ludi, quæ vt puto, canũtur à tibicinibus, aut Musicis alijs. Etenim in vita Iulij fit mentio tibicinum, aitque Suetonius *inter ludos cantata quędam* esse *ad commiserationem & inuidiam cædis eius accommodata ex Pacuuij armorum iudicio.*

in Cęs. cap. 84.

Men me seruaße, vt essent qui me perderent?

Obiter monuerim hymnorum significatum apud Christianos ab Hellenistis immutatum; cum apud Græcos hymnus sit cuiuscumq; hominis laus. sed apud Hellenistas Christianos hymnus est carmen in laudem Dei, aut Sanctorum hominum. sic Euangelium apud Gręcos indicat præmium, quod tribuitur ei, qui nobis lętum adfert nuncium. Ast in nouo Testamento Euangelium est faustus nuncius de Seruatore. talia sunt liturgia, chirotonia, Ecclesia, plurima alia, quæ ab imperitis non bene intelliguntur.

Sed accipere lubet sensu sacro hymnum de funere Cæsareo quando agitur, cum ipsi referantur inter immortales, ijsque iam tanquam Dijs canantur laudes. Certè Homerus, Orpheus, & alij laudes Deorum appellá-

pellârunt hymnos, accedente præsertim vocabulo pæanis, quem vsurpauit Virgilius sensu prorsus sacro, quando dixit.

6.æn.

---- Lętumq; choro pæana canebant.

vbi Seruius obseruat pæana esse laudem, quæ canitur Apollini, & non alij, transferri tamen ad alios deos, vt orgia propriè sũt Patris Liberi, impropriè significãt cuiuscumq; dei Sacra, atq. mysteria.

De more laudandi Imperatores in funere. antiquos Romanos, Græcosq; laudâsse tantum eos, qui pugnando mortui fuissent pro patria.
Cap. V.

SI in funere habebatur oratio antiquis temporibus apud Romanos de laudibus eius, qui iustis iam mortuus excipiebatur, id multò magis Imperatoribus, principibusq; tribuendum fuit. de Augusto ergò Suetonius: *adhibito honoribus modo, bifariam laudatus est: pro æde diui Iulij à Tiberio, & pro Rostris sub veteribus à Druso Tiberij filio.* Drusus laudauit vt cognatus, Tiberius ex Senatusconsulto. ille ex scripto orationem recitauit. huius laudatio reperitur apud Dionem, grauitatis plenissima. Iulius Cæsar non quidem laudatus est sed laudationis loco Cons. Antonius per præconem pronunciauit Senatusconsultum, quo omnia ei diuina, atq; humana decreuerat; item iusiurandum, quo se cuncti pro salute vnius obstrinxerant. plura in re trita

in Aug. ca.100.

Suet. in Cæs. ca. 84.

depromere operæ pretium nõ est, id tantum iam docebo, quod tamen eruditos profectò non latet, Valerium Publicolam primum orationem habuisse de laudibus Collegæ ea de causa, quod Reipublicæ causa in pugna interfectus fuisset, quæ res adeò grata populo fuit, vt ex eo consuetudo manserit, vt qui strenuè pugnãdo obijsset, ab Optimatibus laudaretur. id obseruabatur etiam à Græcis, à quibus videtur exemplum sumpsisse Publicola. videri potest oratio Periclis apud Thucydidem, & apud Platonem in Epitaphio oratio Aspasię. Res porrò eò deducta est apud Romanos, vt etsi mortui non fuissent pro Republica illustres homines, tamen laudarentur. ingens verò est discrimen inter eum, qui occumbit in prœlio ob patriam, & qui domi moritur.

plut. in public.

Sed cur laudatus est Augustus Cæsar, si pater eius ideò laudatus non est, quod Heroes, & immortales laudatione non excipiantur? Nonne & Augustus diuinis honoribus affectus est? existimo respondendum, Cęsarem in tanta trepidatione, rerumq; confusione laudatum non fuisse, cum præsertim Senatus non omninò eius faueret memoriæ, & ne populus magis inflammaretur aduersus percussores. Cur autem laudatus non fuisset Augustus, si toto ritu referebatur inter deos, vt inter ipsos referri debere ex laudatione palam fieret?

De magna copia aromatum, quæ conijciebantur in rogum Cæsareum. agitur etiam de gemmis, auro, argento, vesteq; pretiosa. illustratur Suetonius. Cap. VI.

MAgna odorum copia à multitudine comportabatur, atq; in ignem conijciebatur, ne in odora essent ossa Cæsaris, optimèq; oleret ignis ille, qui tale comburebat cadauer. hoc adeò præclarè nobis exponit Herodianus, vt cogar totam narrationem apponere: *lecto in secundum tabernaculum sublato, aromata, & suffimenta omnis generis, fructusq; herbasq; & succos omnes odoratos, conquirunt atque aceruatim effundunt. quippe neq; gens est, neq; ciuitas, neq; qui honore vllo, aut dignitate præcellat, quin certatim pro se quisque suprema illa munera Principis honori deferat.* hæc Herodianus. Intelligimus iam verba Suetonij, quæ cæteroqui non omninò clara poterant existimari in Cæsare: *præferentibus munera, (quia sufficturus dies non videbatur) præceptum est, vt omisso ordine, quibusq; vellet itineribus portaret in campum.* absque dubio de odoribus in rogum conijciendis sermo est.

lib. 4.

cap. 84.

Dices, Suetonium videri loqui de ijs, quorum postea meminit, militum, matronarumque, quorum illi arma, hæ ornamenta flammis tradiderunt. sed milites absq; dubio ordine incesserunt; Suetoniusq; loquitur

de im-

de immenſa multitudine, quæ nulla alia potuit ferre munera in eiuſmodi rem, quam aromata, ſuccos, odores, herbas, omnia igni mancipanda.

6. Th. Hunc morem cum noſſet Papinius, ſibi faciendum putauit, vt ipſum tribueret græcis in funere Archemori. Hinc ita fatur:

Nec non Aſsyrijs pingueſcunt robora ſuccis,
Pallentiq; croco ſtrident ardentia mella.

Forte dices præter odores, etiam gemmas, aurum, argentum, veſteſq; aureis filis intertextas inter munera, quæ ad rogum Cæſareum portabantur, numeranda. Non prorſus abnuo, cum præſertim Statius in funere Archemori hæc habeat.

Ditantur flammæ. non vnquam opulentior illo
Ante cinis, crepitant gemmæ, atq; immane liqueſcit
Argentum, & pictis exſudat veſtibus aurum.

hæc ille. Quis prorſus abnuat fateri in tanto cenſu donorum, quæ comportata ait Suetonius, fuiſſe & aurea, argentea, gemmeaq; ?

Sed regeres, Herodianum tantum facere mentionẽ odorum, argentum verò, & aurum gemmaſq; prorſus præterire. Reſpondere licet, hiſtoricum locutum de ijs precipuè, quæ ad ignem odoriferum reddendum facerent, nec propterea voluiſſe excludere reliqua. Certè matronas in rogum Iulij conieciſſe ornamenta ſua difertè teſtatur Suetonius, cum tamen talium rerum veſtigium non appareat in Herodiani narratione.

De

De more emittendi aquilam è rogo in funere Imperatorum. Cap. VII.

IN diuorum numerum cum referrentur Imperatores, id obſeruatum nouimus, vt è pyra, rogoq; euolaret in ſublime aquila, quaſi inter immortales relatura animā mortui Principis. id diſcere eſt ex Dione, de Auguſti apotheoſi quando agit: *abſumpto rogo, aquila ex eo emiſſa ſurſum volauit: quaſi animum Auguſti in cælum ferens.* hæc ibi. in Seuero non abſimiliter legimus, Conſules *rogum incendiſſe; quod cum eſſet factum aquila ex rogo euolauit, ſicque Pertinax inter immortales relatus eſt* Herodianus in deſcriptione totius ritus, quo peragitur apotheoſis Cæſarū, obſeruauit, & ipſe *ab extremo minimoq; tabernaculo, tanquam e faſtigio quodam ſimul cum ſubiecto igni aſcenſuram in æthera aquilam dimitti, quæ in cælum creditur ipſam Principis animam deferre.* Sic Herodianus pulchrè concinit Dioni. cur aquila potius, quam vlla alia auis eligatur ad hoc miniſterium, dicere ſuperuacuum eſt. quis enim id non intelligat? illud non prætermittendum, non ſemper ritus rei ipſi ſignificatæ examuſſi reſpondere. nam quis credat animam tunc primum proficiſci, quando euolat aquila? Cum verò ſolis Imperatoribus talis honor impendatur, mirum non eſt ſi dixerit Mammertinus in Panegyrico, reliquorum hominum animas eſſe caducas, atq; mortales, Cæſarum autem mentes immortales eſſe, atque ſempiternas. forte etiā ex eiuſmodi apotheoſi emanauit mos Imperatorū, quā-

lib. 56.

lib. 74.

lib. 4.

uis Christianorum, vt sibi perennitatem, diuinitatem tribuerent, qua de re aliquid dixi in libro primo de Iustinianei seculi moribus.

Sed quando cæpit mos emittendi aquilam è rogo in funere Imperatoris? videtur initium apotheoseos tribuendũ Iulio Cęsari. is etenim primus relatus est in numerum Deorum, quod cecinit Statius, dum inquit:

Primus iter nostris ostendit ad æthera Diuis
Iulius.

Lucanus quoq; docet dedisse pœnas Deos desertę libertatis. cœpisse etenim, quod antea non fiebat, homines inter Deos referri. relatum autem inter Deos primum Cæsarem neminem fugit. in ipsius tamen funere nihil de aquila emissa legitur apud Suetonium, & Dionem. hic tantum dicit, in foro *rogum tumultuarium extructum, eiq; cadauer impositum.* apud Suetonium de pyra contexta in foro apud Rostra.

lib. 44.

Quæ cum ita sint, mos emittendi aquilam è culmine rogi referendus est ad funus Augusti, qui tamen non primus meruit apotheosin. licet namque Iulius non eo apparatu numeratus sit inter immortales, honores tamen diuinos obtinuit à populo. Dio: *Aram multitudo eo in loco, quo rogus fuerat extruxit, sacrificareq; apud eam, & immolare Cæsari, tanquam Deo instituit.* hęc ille. forte autem Augusti in funere visum fuit aquilam emittere, quod non defuisset, qui referret se vidisse Augusti animam in Cœlum proficiscentem. Dio: *Numerius Atticus iurauerat, vidisse se Augustum in cœlum ascendentem, quemadmodum antiquitus Romulum Proculus vidisse perhibetur*

lib. 44

lib. 56.

betur

betur. concinit Suetonius: *Nec defuit vir Prætorius, qui se effigiem cremati euntem in cœlum vidiße iuráßet.*

in Aug. ca. 101.

De Constantino etiam post mortem adorato á toto populo. An talis mos reprehendendus?

Cap. VIII.

CONsueuisse adorari Imperatores etiam Christianos ex Zonara in vita Iustiniani, & ex vita Caroli Magni apud Pithœum notũ quum sit, non ego iam historicorum transcribam verba, cum præsertim ea videri possint in secunda parte mei Operis de Iustinianæi seculi moribus. id potius, quod profectò singulare est, narrandum fuerit, quandoquidem de funere Cęsareo instituta nobis est dissertatio, Constantinum scilicet etiam post mortem adoratum. quod si cui mirum videtur, cogitet opinione quadam Romanorum, & consuetudine fuisse receptum iam à temporibus Iulij Cæsaris, vt honores Cęsarei magis ac magis augerētur post mortem, quod hic ipse liber nos docere potest. Ergò cum viui adorarentur Imperatores Christiani, quid mirum, si vita functis, idem cultus impenderetur? Audiamus nunc Eusebium de Constantino mortuo loquentem: *Totius igitur exercitus duces ac comites, totusq; Principum ordo, quibus vetus erat Imperatorem adorandi consuetudo, nihil de pristino more mutantes, temporibus congruis introgressi, Imperatorem in capsa iacentem, etiam post mortem, perinde, ac si viueret, flexis genibus salutabant.* Neq; putes id

lib. 4. de vit. Const.

S præ-

præſtitum à ſolis viris militaribus, *accesserunt etiam qui ex Senatu erant, & cuncti preterea dignitatibus præditi:* hæc ibi. Nulli mortalium ea tempeſtate conſtat talem impenſum fuiſſe honorem. ſed, inquies, videntur Chriſtiani iſti adorâſſe Impetatorẽ Conſtantinum tanquam Deum, ſecutiq; opinionem Romanorum, qui mortuos Cæſares, tanquam Deos colebant. Reſponderim, Chriſtianos retinuiſſe mores in honorandis Imperatoribus ob maieſtatem, quamuis minimè exiſtimandum ſit eos putâſſe Imperatores eſſe Deos, etſi ſciamus ipſos Imperatores Chriſtianos nomen diuinitatis ſibi tribuiſſe; qua in re ſi peccârunt, cur quæſo non ſunt moniti erroris ab Antiſtitibus?

Cum autem de alijs imperatoribus Chriſtianis præter Conſtantinum poſt mortem adoratis, vix quicquam lectum mihi meminerim, ſubintelligendum tamen videtur, quod non refertur diſertè ab Hiſtoricis.

An cum aromatibus, & odoribus ſepulta fuerint corpora Chriſtianorum Imperatorum?

Cap. IX.

AN cũ odoribus, & vnguentis mandarentur terrę corpora Chriſtianorũ Imperatorum, quãdo quæritur, vix quicquam ex hiſtoricis, Euſebio, ſimilibuſq; depromere licet. Suppetunt quidem verba Tertulliani de Chriſtianorum ſepultura agentis his verbis: *Thura planè non emimus, ſi Arabiæ queruntur, ſcient Sabæis plus-*

Apol. cap 42.

pluris, & carioris suas merces Christianis sepeliendis profligari, quam dijs fumigandis. sed cum Tertullianus diu vixerit, antequam Imperatores Religionem Christianam profiterentur, ambigere quis possit, an huiusmodi mos obseruaretur, quando Christiani Cęsares sepeliebantur.

Præstò tamen sunt verba Corippi, sed qui valdè iam adultis temporibus Christianorum Imperatorum vixit. is sic loquitur:

Thura Sabæa crepant, fragrantia mella locatis
Infundunt pateris, & odoro balsama succo,
Centum aliæ species, vnguentaq; mira feruntur.

vides, quæ tunc adhibita fuerint, corpus Cęsareum, quando fuit sepeliendum.

Concinunt his, quæ legimus in vita Caroli Magni: *Corpus eius aromatizatum est, & repletum sepulchrum eius aromatibus, pigmentis, & balsamo, & musco.* his lectis, dicat qui potest, an corpora Constantini, Constantij, & aliorum *aromatizata* (liceat mihi vti hoc verbo) fuerint. de Constantino profectò nihil eiusmodi memini ab Eusebio proditum.

apud Pithœum

APPENDIX

De verbis Persij. triplex eorum expositio promitur.

Sat. 6.

QVandoquidem repletum memorauimus odoribus sepulchrum Caroli, aliquid dicere lubet de verbis Persij, vbi hæres, qui spe iam deuorauit patrimonium consanguinei, dicitur vrnæ daturus *ossa inodora*, si pergat ipse laute viuendo oblimare rem. sed apponantur verba Satyrici. -------- *vrnę*

Oßa inodora dabit.

vetus Scholiastes interpretatur de vnguentis. quò vocanda sunt, quæ iam ex Tertulliano protulimus: neq; enim Christiani odores conijciebant in ignem, sed necesse erat inijci sepulchro, quod factum legimus, quando sepultus est Carolus Magnus. nec silet Herodianus in Seuero. miscebantur scilicet cineribus aromata. id commodius fiebat à Gentilibus, qui reliquias tantum corporis, aut cineres tradebant vrnæ.

Putárim etiam Persianum versiculum intelligendum de odoribus, qui conijciebantur in ignem, quando corpus comburebatur. ossa scilicet ea dicuntur odore carere, quæ cum in igne essent nihil odorum acceperunt.

Tertia expositio verborum Persij præstò est ex eodem Scholiaste censente posse legi: *ossa inhonora dabit vrnæ*, quasi hæres non sit mandaturus reliquias sepulturæ, aut vili loculo sit compositurus. hæc obiter lubuit ad explicandum Persium depromere.

Anti-

Antiquissimum, & valde frequentem esse vsum Mausoleorum apud Nationes. cur ipsa à Christianis Principibus, et Cæsaribus neglecta fuerint? Cap. X.

MAgnam curam ab omni memoria apud nationes olim posuerunt Reges, Principesque, & demũ Cæsares, vt suæ reliquiæ magnificè constructa in mole conderentur. Ea de re non sinunt nos dubitare locupletes auctores. L. Florus de Cleopatra: *in Mausoleum se (sepulchra Regum sic vocant) recipit.* Suetonius in Vitellio: *lapidem memoriæ Othonis intuens: dignum eo Mausoleo ait.* Martialis:

lib. 4. cap. 11.

cap. 10.

Aëre nec vacuo pendentia Mausoléa

Lucanus: *cum Ptolomæorum manes claudant indigna Mausoléa.* hæc atque alia, quæ de Mausoléis extant, ostendunt morem Regum fuisse sibi ingentis operis cõstruere Sepulchra. in antro apparet compositum corpus magni Alexandri, & quidem in Ægypto, de quo Lucanus, & Suetonius ille sic:

lib. 8.

Cum tibi sacrato Macedon seruetur in antro.

lib. 8.

Pyramides quoque in vsum sepulturæ apud Ægyptios Reges receptæ sunt. hinc idem Lucanus:

Et Regum cineres extructo monte quiescant.
Cum Ptolemæorum manes, seriemq; pudendam
Pyramides claudant.

non quidem Ptolomæi Pyramides ipsi construxisse videntur,

dentur, ſed ijs, quæ iam conſtructæ fuerant ab antiquiſſimis Regibus vſi.

Vide iam viciſſitudinem rerum. apud Chriſtianos Mauſoléa, vt ſepelirentur Reges, & Principes nulla ædificata ſunt. quantum mores hominum immutat religio. Certè Conſtantinus Mauſoléo caruit, in templo Apoſtolorum, quod erat Conſtantinopoli, ſepultus. docet religio Chriſtiana vita functis multum prodeſſe preces piorum, merita quoq; Martyrum, & Sanctorum ſuppetias ferre. Ita quiſq; cupit ſepeliri in templis, vt particeps fiat precum, quæ funduntur in diuina liturgia à Sacerdotibus, alijſq; qui pietatis cauſa confluunt ad Baſilicas. Tale fuit deſiderium Conſtantini, tale ſubſecutorum Imperatorum, vt propterea Chriſtiani pro Mauſoléis lubentius conſtruxerint Eccleſias, inque ijs mandarint ſua ſepeliri corpora. Hinc etiam factum, vt monumenta illuſtrium familiarum cœperint eſſe in templis apud Sacellum, in quo quotidie fit res ſacra aſſignata dote ab illa ipſa familia. ſic creuit numerus Sacellorum, imò Eccleſiarum, & ſacrorum prouentuum, ditatiq; ſunt rerum ſacrarum Myſtę ob preces, quibus quietem, & ſalutem animabus vita functorũ à Deo petunt, & impetrant per merita Martyrum, quorum reliquię ſub eo iacent ſepulchro.

De Mausoléo constructo ab Augusto. de Mole Hadriani. reiectus Spartianus. Cap. XI.

NON tam diu imperauit Cęsar, vt sibi construxerit Mausoléum. sepultus est in monumento. Dio: *Cremati reliquias liberti eius sublatas in monumento eius reposuerant.* Augustus autem regali opere construxit locum, in quo ipsius conderentur cineres. id narratum scimus à Suetonio: *Reliquias Augusti primores in Mausoléo condiderunt, id opus inter Flaminiam viam, ripamque Tyberis Sexto suo Consulatu extruxerat: circumiectasq; syluas, & ambulationes in vsum populi iam tunc publicârat.* hæc ille. quis ex Cæsaribus deinceps sepultus est in Mausoléo Augusti? Multi eo conditi videntur, si credimus Dioni de Hadriano: *iam enim Augusti monumentum repletum erat: nec quisquam amplius in eo sepeliebatur.* Atqui si percurramus funus eorum, qui imperârunt post Augustum vsq; ad Hadrianum vix quemquam sepultum illic deprehendemus. Ergone mendacij postulandus Dio? putárim Dionem loqui de ijs, qui erant ex familia, & successione Augusti, quamuis adoptati, non tantum mares, sed & fœminæ. ipsis gloriosum honorificumq; fuit inferri Mausoléo, quod potius ab Augusto Augusteum appellandum videbatur. hinc Augustus ipse vetuit pænæ loco *sepulchro suo inferri Iulias filiã, neptẽq; si quid ijs accidisset* teste Suetonio in Aug. cap. vlt.

lib. 44.

in Aug. ca. 100.

Hadriani verò reliquiæ vbi quæso conditæ? sunt verba Dionis: *Sepultus est in ripa fluuij, iuxta pontem Ælium:*

um: illic enim ſepulchrum conditum. quod hodieq; perdurat, & moles Hadriani appellatur. vides fuiſſe extra mœnia Romæ.

in Vit. Hadr.

Sed Dioni repugnat Ælius Spartianus, inquit enim: *ſepultus eſt in villa Ciceroniana Puteolis*. verum res ipſa clamat, fidem potius habendam Dioni, quem ſequuntur ſcriptores rerum Romanarum. Niſi forte velit dicere Spartianus translatum poſtea fuiſſe, quod euenit etiam aliorum Imperatorum reliquijs.

Reliquias Cæſarum quandoq; conditas intra vrbem. agitur de lege xij. Tab. & nonnulla contra ipſam obijciuntur, & ſoluuntur. Cap xij.

ETſi more legeq; Romanorum extra vrbes, & oppida eſſent condendæ reliquiæ, & ſepelienda corpora, id tamen non ſemper ab omnibus obſeruatum eſt. Quæ cauſa eſt, vt ſuper ea coacti fuerint Principes cõſtituere. Cũ verò populi maieſtas, maieſtas Principis ſupra leges ſint, mirum non eſt, ſi quandoq; eorum permiſſu, aut ſaltem ijs non repugnantibus procerum, & illuſtrium virorum reliquię intra vrbem conditæ fuerint in templo familiæ. ex vita Domitiani profectò conſtat in templo Flauiæ gentis collocatas non vnius ex ea familia reliquias. Etenim Suetonius ſic ſcribit: *Cadauer Domitiani populari Sandapila per Veſpillones exportatum, Phyllis nutrix in ſuburbano ſuo latina via funerauit: ſed reliquias templo Flauiæ gentis clam intulit, cineribuſq; Iuliæ*

Suet. ca. 18. in Domit.

filiæ

filiæ Titi commiscuit. Vides id clam factum. nam quod reliquię filię Titi ibi conditæ sunt, id quis non videt factum sic volente Cęsare, qui legibus solutus est?

Ambigere autem non possumus lege XII. Tab. vetitum, ne homo mortuus in vrbe sepeliretur. attamen constat apud Romanos intra vrbem non paucos sepultos, qui virtutis causa id sunt consecuti, vt Publicola, Tubertus, Fabritius. quin Claudia familia habuit sub Capitolio sepulchrum. Virgines quoq; Vestales in Vrbe sepulchra habuisse sunt qui narrant. An & Imperatores? id sunt, qui affirmant. Sed quam verè ipsi viderint. Mausoléum Augusti fuisse extra vrbem docent Suetonij verba à me prolata suo loco. Moles Hadriani trans Tyberim erat. in hortis sepultos esse aliquos Imperatores docet Suetonius. horti porrò extra vrbem. Nec tamen nego potuisse pro suo summo fastigio in vrbe sepeliri. nam & apud Gręcos insignibus hominibus hoc quandoq; datum nouimus. Cicero ea de re non sinit nos dubitare, dum ait quid contineretur plebiscitis Smyrnæorum, quæ fecerant in Castricium mortuum, breui ostendens, primum vt *in oppidum introferretur, quod alijs non conceditur.*

orat. pro Flacc.

Nunc referendum id, quod est apud eundem Ciceronem: *Quod cum ad templum, monumentumq; nostrum ciuitates pecunias decreuissent, nominatimq; lex exciperet, vt ad templum, monumentumq; capere liceret.* Ex Olympiodoro in bibliotheca Photij constat domos, hoc est ędes Procerum non caruisse templis. at templis coniunguntur monumenta. sic videmur posse conficere, magnates

lib. I. Ep. I. ad Q. Frat.

T habuis-

habuisse domi suæ in vrbe sepulchra. Quid enim est aliud monumentum, quam sepulchrum? id si verum, corruere videtur magna ex parte lex. XII. tab. de mortuis intra vrbem non sepeliendis.

Responderim monumentum, cuius facit mentionem Cicero, quodq; erat cum templo coniunctum non videri fuisse sepulchrum, sed cenotaphium, & quicquid conseruaret memoriam eorum, quæ ad familiam facerent. significatum hunc nobis tradidit Florentinus, dum inquit. *Monumentum generaliter res est memoriæ causa in posterum prodita, in qua si corpus, vel reliquiæ inferantur, erit sepulchrum: si verò nihil eorum inferatur, erit monumentum memoriæ causa factum, quod Græci Cenotaphium appellant, id est inane sepulchrum*. hæc Florentinus. iam esset ostendendum Proceres solitos reliquias inferre monumentis illis, quæ cum templis coniuncta erant. nam exemplum, quod prolatum est ex Suetonio de filia Titi, deq; ipso Domitiano nequaquā trahi ad reliquos proceres, qui prope innumeri erant, debet. Ergo ex verbis Ciceronis non licet colligere sepulchra fuisse in vrbibus penes templa Magnatum.

ff de relig. & sumpt. fun. l. 10.

Con-

Constantinum sepultum fuisse in monumento Apostolorum. quod mirum. aliquid rursus profertur de lege, quæ vetabat quemquam sepeliri in vrbibus. Cap. XIII.

COnstantinus in templo Apostolorum sepultus est, quandoquidem Christianus erat. Eusebius: *Cum autem ad Templum Apostolorum Seruatoris venissent, illic capsam deponebant*. non solum in templo Apostolorum conditum est corpus, sed in eodem sepulchro positum, vt videntur indicare eiusdem Eusebij verba: *cum Apostolorum memoria, sicuti studiosè petierat coniūgi meruit*. Apostolorum memoria erat ipsorum Martyrium, siue confessio, siue monimentum, & sepulchrum. id autem tributum est honori Cæsareo, alij, quamuis illustri viro id certè non contigisset. Sed addit Eusebius, vt magis ac magis intelligamus capsam Cęsareum corpus complectentem collocatam in monumento Apostolorum: *Tabernaculum illud ter beatæ animæ vnà cum Apostolorum nuncupatione est glorificatum, ac populo Dei coniunctum*. hæc Eusebius. Ignorandum porrò non est, tunc viguisse legem, ne quis sepeliretur in Vrbibus. sed Princeps legibus est solutus. paulatim autem Christiani cœperunt in vrbib. sepeliri propter Ec-

lib. 4. de vit. Const.

clesias, nam cupiebant in ipsis templis sepeliri, vt fierēt participes precum. Ita nunc, pręsertim in Italia, omnes sepeliuntur in templis funditus antiquata lege veterum Romanorum, atq; etiam Christianorum, qua de re vide quæso, quę exaraui in prima parte de Iustinianei seculi moribus.

Sed facessunt negotium verba, quæ ibidem apud Eusebium leguntur: *Tabernaculum animæ Constantinianę est sacros ritus, ac mysticam liturgiam sortitum.* Ergòne Eucharistia celebrata est in honorem etiam Constantini, vt consueuerat celebrari in memoriam Apostolorum? Neq; enim rogatur Deus pro Apostolis. id ipsum videtur pronunciandum de Constantino, quasi tunc relatus sit in numerum Sanctorum, pro quibus nequaquā preces fundimus, quin ipsos rogamus, vt nos suis precibus commendent. Respondere possum sacros ritus, & mysticā liturgiam sic referri ab Eusebio ad Constantinum, vt pro anima ipsius dum offertur corpus, & sanguis Christi, rogetur Deus. hoc ostendunt verba eiusdē Eusebij de Constantini tabernaculo: *& sacrarum precum communione potitum.* nam paulo ante scripserat: *populus verò valde multas preces ad Deum pro anima Imperatoris destinabat.* hæc Eusebius.

Nunc discendum nobis est, vbi subsecuti Imperatores sepulti fuerint. sufficiant iam nobis verba Nicephori: *Theodosius in paterno monumento Romani lapidis repositus est in dextra sublimi sanctorum Apostolorum templi porticu, in qua porticu, eodemq; lapide pater quoque Arcadius, & mater Eudoxia, necnon Theodosius siti sunt. in sini-*

lib. 14. cap. 58.

sinistra autem, quæ ex aduerso est porticu sacri eius templi Iouianus iacet. hæc Nicephorus.

Adm. R. P. Donatus Antella videat hoc opus, & siquid in eo Pietati Christianæ bonisq; moribus aduersum continetur referat D. die 4. Iulij 1640.

Vincentius Rabatta Vic. Flor.

Iussu per Illustris, & Reuerendissimi D. D. Vincentij Rabattæ Vic. Generalis Florentini vidi opus de Funere Heroum, & de Funere Cesareo à Doctissimo, & Eruditissimo viro D. Paganino Gaudentio compositum & nihil in eo offendi Christianę fidei aut bonis moribus aduersum, imò cum sit varia eruditione repletum, & in eo errores vanitatesq; Gentilium corrigantur prælo dignissimum Iudico. Datum Florentiæ in Conuentu Sanctę Mariæ Nouellæ Ordinis Prædicatorum.

F. Io. Donatus Antellensis S. Theol. Mag. Metaphysicus Vniuersitatis celeberrimæ Pisarum & Consultor S. Officij Florentiæ, & Pisarum.

Attenta suprascripta Relatione Imprimatur opus seruatis seruandis D. die 20. Iulij 1640.

Vincentius Rabatta Vic. Gen. Flor.

Ego

Ego Frater Antonius Falagianius suprascriptum opus de Funere Heroum, & Cæsareo de Mandato Reuerendissimi P. Inquisitoris Florentini status perlegi, & nihil fidei, bonisque moribus repugnans inueni.

Ita est Fr. Antonius qui supra manu propria.

Imprimatur præsens opus. Florentiæ ex Domo Sanctæ Inquisitionis die 24. Iulij 1640.

F. Alexander à Nitia S. Officij Florentiæ Cancell. de mandato Reuerendissimi P. Inq. Gen.

Alexander Victorius Serenissimi Magni Ducis Aud. & Senator.

DE CÆSARE CREMONINO, IVLIO PACIO, ET IOANNE BARCLAIO,

Historica Diatriba.

IGNOSCAT inter recentiores scriptores vir ingeniosus, & disertus, si inciderit in hanc Diatribam, qua famam illustrium virorum Cæsaris Cremonini, Iulij Pacij, & Ioannis Barclaij assero, atq; defendo. Neq; enim contradicendi studio, & rixandi animo hæc à me exarantur, sed quia nos pietas inuitat ad tuendos eos, qui cum viuerent omnes in sui admirationem trahebant, mortui autem non desinunt nobis prodesse immortalibus, quæ reliquerunt, monumentis.

De Cæsare igitur Cremonino sic narratio instituitur, quod deteriores, & reprobatiores de rebus physicis sensus tueretur acriùs, quam orthodoxæ fidei alumno

liceret,

liceret, quodq; videretur animos hominum cum brutis animatibus communes facere, corruptionique reddere obnoxios.

Atqui hodie qui superſunt eius diſcipuli teſtãtur cõſueuiſſe Cremoninum, antequam interpretaretur libros de Anima Ariſtotelicos non pauca pręmittere, quę immortalitatem Animorum adſtruerent, refellerentq; Gentiles, & Epicureos, teſtabatur deinceps ſe acturum interpretem Ariſtotelis, & bona fide expoſiturum, non quod veritati Chriſtianæ eſſet conſentaneum, ſed quid ſenſiſſet Peripati Princeps doctorum. An Marſilius Ficinus, atq; alij Platonis explanatores, qui Platonicæ scholę enarrant dogmata, cenſentur & ipſi cum Platone tradere, quæ aduerſantur noſtræ Fidei ſanctitati? Nequaquam fas eſt ita pronunciare. non pauci cæteroqui cum Cremonino poſſent accuſari, quod minùs rectè de diuinis hominum ſpiritibus ſenſiſſent. Zabarella profectò vix aliter quam Cremoninus ſe geſſit, apud viros tamen prudentes non malè audit.

De Cremonino rurſus ſubijcit ſcriptor recẽtior eum quoq; de Fato, de Mundo, de Cœli motoribus placita perperam interpretatum fuiſſe. reſpicit abſq; dubio ſcriptor libros Cremonini de Cœlo, in quib. ſi aſſerit dogmata Ariſtotelea perperam expoſita, Alexandrum quoq; Aphrodiſienſem cenſoria notabit virgula, imò inſcitię meliores Peripateticos arguet.

Cum autem probè noſſet Cremoninus in libro de Cœlo, multa proferenda aliena à Religione Catholica, in præſatione teſtatus eſt ſe quoq; ijs effatis ſcholæ

Peripa-

Peripateticę nequaquam assentiri. legatur quęso illa præfatio, & omnis nebula dissipabitur.

Sed quæret non nemo; cur liber Cremonini de Cœlo proscriptus est, si in illo tantum interpretem agit Aristotelis, non verò propriam expedit sententiā? Respondendum est Romæ vetitam fuisse eiusmodi operis lectionem, quod posset fieri, vt lectores minùs cauti se paterentur indui in nodos doctrinæ Peripateticæ, & quæ reijcienda forent, tanquam veritati consentanea amplecterentur.

Illud tandem disquirendum de Cremonino, an eius opera typis cusa in officinis euilescant? dicendum potius erat, ignorantia, & ignauia huius seculi fieri, vt langueat germana Philosophia Peripati, regnētq; farragines, non philosophicæ, sed pedęgogicæ quorundam hominum, qui absq; discrimine commiscent imò confundunt inter se dogmata toto Cœlo à seinuicem distantia. apud eos porrò, qui sciunt quid distent æra lupinis, lubenterq. sententias proprias Aristotelis exquirunt, magno in pretio sunt opera Cremonini, eruntq. deinceps apud omnes, qui Peripatum, & Lyceum magni faciunt. quod sic assero, vt interea sciamus libros de Cœlo nequaquam absq. nutu Antistitum, quæsitorum fidei esse euoluendos.

Misso Cremonino, nos Iulius Pacius clarissimus Iurisconsultus vocat. dicitur is caruisse agendorum solertia, & vsu, quandoquidem discessit à patria primum, deinde impotens, more senum reliquit sedem Patauinam. de primo discessu nihil aliud proferendum, quam

V tunc

tunc migrásse Pacium, quando præ imbecillitate ætatis, solertia agendorum carebat, vt nihil dicam de metu. sed alter discessus aliam, grauissimamque habuit causam. Cum enim auditoribus ipse vir adeò clarus careret, omnesq. ad Martham confluerent, tantamne tulisset ignominiam, & dedecus, cum summam claritatem scribendo, docendo in Germania, Gallia adeptus fuisset? parui profectò fuisset animi talia ferre, & solitudini immori. statuit igitur quamprimum valedicere Italiæ. Hodie autem qui audiunt, Patauij non placuisse Pacium, mirantur, & indignantur potuisse fieri, vt tantus vir ab ignaris iuuenibus postponeretur Marthæ. Laudatur vicissim Pacius quod plebeias animas potuerit, & voluerit contemnere, adq. Gallos, vnde venerat, reuerti.

Propero iam ad disertissimum, argutissimum Barclaium, qui vt consuleret suæ famæ, relicta Magna Britannia Romam petijt, vbi pulcherrimum librum aduersus Sectarios emisit proprio Marte, proprijsque instructus armis, non edoctus (vt putat recentior scriptor) à Bellarmino. Nec effudit oleum, & operam. Nam liber ille magna cum laude auctoris versatur in manibus eruditorum, qui facile animaduertunt an à à Bellarmino hęc profecta fuerint. prorsus profectò Barclaiana sunt, in quibus nõ video quid Bellarminianũ sit, nisi dicas dogmata Catholicæ Fidei Bellarminiana esse. Sunt autem Ecclesiæ Catholicæ dictata, à Barclaio eruditè admodum, & disertè exposita, atque defensa.

At in-

At inquies, Barclaium vix rudimentis Theologicis imbutum fuiſſe. Reſponderim Barclaium non quidem triuiſſe tempus in Scholis Theologorum, ſed cum eſſet ſubtilis, acutus, & argutus, diu in Britannia verſatus, vbi quotidie de Controuerſijs Fidei colloquia inſtituũtur, haud difficulter tantum potuiſſe proficere, vt eruditum librum aduerſus Nouatores exararet, euulgaret. is adeò auidè exceptus eſt, ob claritatem Barclaiani nominis, vt poſt Romanam editionem recuſus in Gallia fuerit.

In hoc opuſculo nihil continetur fidei aut bonis moribus contrarium.

F. Io. Donatus Antellenſis Sacræ Theol. Magiſter Manu propria.

Imprimatur ſi videbitur R. P. Inquiſitori. In auguſti 1640.

Laur. Capponius Vic. ſub. Floren.

De mandato Reuerendiſſimæ Veſtræ Paternitatis Vidi' præſens opuſculum, in quo nihil inueni, quod eius impreſſioni aduerſetur. in fidem.

Fr. Io. Paulus Bimbaccius manu propria.

Imprimatur.

F. Io. Inq. Gener. Flor.

Aleſſandro Vettori.

LE SINGOLARITA DELLE GVERRE DI GERMANIA,

Osseruate e breuemente descritte dal Dottor

PAGANINO GAVDENTIO
Pubblico Lettor di belle Lettere ne lo Studio di Pisa.

IN FIORENZA,

Nella Stamperia d'Amador Massi, e Lorenzo Landi. 1640.
Con Licenza de' Superiori.

Al Lettore.

QVANDO della cognizion delle cose ciuili, e del viuere vmano si fauella, quattro generi di persone mi si fanno innanzi; alcuni sanno dell'istorie antiche Greche, e Romane, ma de' successi del nostro secolo, e del prossimo passato notizia non hanno. Altri curiosamente indagano le nuoue di questi tempi, le passate memorie, e le prische etadi trascurando. Vi son di quelli, che del tutto ignoranti d'Istoria in ogni modo pretendono di sapersi molto ben gouernare. Altri finalmente l'antichità con le cose moderne accoppiano, e dal suo tesoro secondo l'occasione or cauano cose vecchie, or le fresche rappresentano. I primi si difendono, con dir che i Romani soli, ed i Greci son stati huomini degni d'esser imitati, e che basti da lor prender esempio, senza far conto dell'azzioni di coloro, che troppo degenerato hanno dall'antico valore. L'ordine secondo, dice che le maniere nostre son tanto diuerse dall'antiche, che vana riesce la fatica impiegata nel conoscerle, non volendo la ragione, che l'huomo con difficultà apprenda quello di cui nel viuer vtilità riceuer non può. Quelli poi che mostran d'aborrir ogni Istoria, parlan assai del giudizio naturale, e del buon discorso, mediante il quale si può far i fatti suoi, e gouernarsi con molta prudenza. L'vltima schiera, proua che conuiene alla prudenza, far vn paragone tra i casi degli Antichi, e quelli de'

moder-

moderni, per raffinarſi negli affari del mondo, e penetrar nell'intime cagioni de' negozi, e degli auuenimenti. Contra i primi ſi replica, dicendo farſi gran torto all'età noſtra con parlar ſi baſſamente di quelli, che meritano andar al pari di molti degli antichi, ed eſſer ad alcuni preferiti. Così Tacito ſi duole, che Arminio Tedeſco gran ſoldato non fuſſe noto a' Romani, ed a' Greci, eſaltando l'iſteſſo Iſtorico la virtù di quel Capitano, e facendogli vn' encomio illuſtre, acciòche l'ingiuria del tẽpo la di lui gloria nõ renda oſcura. Chi poi ſi diletta ſolamẽte degli auuiſi, che vanno attorno giornalmente, e ſtudia i ſoli Mercurij, e le gazette, hà del puerile, eſſendo proprio de' fanciulli il ſapere ſolamente le coſe, che ſi veggono, e ſi toccano con mano. Il terzo genere non merita comparir fra gli huomini di ſpirito, e di qualche conto, ma reſtar tra la plebe, e tra'l volgo, indegno contro il quale ſi diſputi, e ſi ſcriua. Viuano dunque quelli, che la lor diligenza applicano al vario ſapere, ed arricchiſcono la mente con gli annali de' Greci, e de' Romani, e con le noſtre carte, e con le noſtre relazioni, acciòche quando ſi muoue ragionamento de' ſucceſſi di queſto Secolo, nel qual viuiamo, ſappiano conoſcer la diuerſità, e la ſomiglianza che hanno co' paſſati, indrizzando il tutto non ſolo al diletto, ed al guſto, che ſi caua dall'ameniſſima varietà, ma à dar il giudizio ſuo, lodando ne' noſtri Principi, e Capitani, quello che può, e deue eſſer lodato, ed à biaſimar ancora, ma con modeſtia, quando eſſi dal diritto ſentiero ſi diſcoſtano. Io dunque cercando di

ſeguitar le pedate di queſti vltimi, quanto alla mia debolezza vien conceſſo, mentre nelle publiche ſcuole eſpongo alla giouentù gli annali di Tacito procuro nelle lezzioni congiungere alla narrazione di Tacito gli eſempi i più freſchi, ed i più moderni ch'abbiamo per le mani, non priuando alcuno qualunque egli ſi ſia, e di qualunque delle parti della meritata lode: ed anco tal volta notando quello, che non dee èſſer imitato. Quindi m'è venuto fatto d'andar penſando più partico larmente alle guerre di Germania, al pari di qualunque altre memorabili, e paſſando ſempre più auanti col penſiero hò oſſeruato quello, in cui ſi ſcuopre ſingolarità, e condizione non così ordinaria. E perche la memoria è labile, e quello ch'oggi habbiamo meditato, dimani ci ſcappa, e ſi rinſelua, hò voluto almeno vna parte di tali ſingolarità mettere in carta, facendone d'auantaggio parte à te, ò lettore, con la publica ſtam pa, pregandoti affettuoſamente di volermi ſcuſare ſe forſi hò ardito troppo, ed hò intrapreſa fatica ardua richiedente altre forze, che le mie, poiche il deſiderio di giouare al publico m'hà fatto riſoluere à dar fuori queſte oſſeruazioni, acciòche ſe non meritano per ſe ſteſſe applauſo, al meno eccitino migliori penne, à far coſa degna dell'argomento. Ben con verità poſſo dire, che nella compoſizione di queſt' operetta io non ſcriuo per compiacere à perſona al mondo, né per acquiſtar da alcun premio, ma ſolo per ſodisfare al proprio genio, ed al proprio guſto. dico queſto, acciòche non ti marauigli ſe con indifferente libertà eſercito lo

ſtile, e proferiſco alla buona, ſenza hauer tanti riſpetti il mio parere. così vuol la verità, il cui parlare, ſecondo quell'antico, dalla ſchiettezza non ſi ſcompagna.

LE SINGOLARITA DELLE GVERRE DI GERMANIA.

Singolarità de' Boemi, che s'vniſcono con Mattias contro Rodolfo, e contra l'iſteſſo poi ſi ribellano. Cap. I.

ARTICOLARITA' degna d'eſſer notata nella ſolleuazione de' Boemi contro l'Imperadore Mattias è, che gl'iſteſſi, che coſpirarono con gli Vngheri à fauor del medeſimo Mattias, contro l'Imperador Rodolfo aſſediandolo nel caſtello, e coſtringendolo à condeſcender à tutto quello, che ſi domandaua; gl'iſteſſi poi ſi riuoltarono contra Mattias partito da Praga per Vienna. Non haueua cagione

di molto fidarsi di loro Mattias se sapeua che eglino haueuano cospirato ad assediar Rodolfo: ma che? con quello, che altri pecca, con l'istesso vien castigato. S'era valsuto Mattias de' Boemi per assediare il Fratello, e necessitato à secondar tutte le sue domande essendo poi partito da Praga intese contra se stesso le machinate nouità.

Singolarità della caduta degli Officiali di Cesare dalle finestre del palazzo senza restare offesi. Cap. II.

